IOH. ASPO

AD

RVD. PLIM

DE

DEITATE IES

EPISTOLAE QV



LIPSIA

IMPENSIS CHRIST. G

178

PONTANI

AD

LIMMELIVM

DE

IESV CHRISTI

AE QVATVOR.



PSIAE

ST. GOTTL. HERTEL.

7 8 9.

IOH. ASPONTANVS RVD. PLIMMELIO.

S. D.

Etsi gratissimae illae mihi litterae fuerunt, quas superiore mense ad me dederas, quippe quod singularis quaedam Tua in me beneuolentia in iis eluceret, multum tamen diuque mecum deliberaui, quid respondendum esset. Siue enim Te intueor aliosque vestrae regionis ecclesiarum Pastores, quos scribis in dubitationem de Deitate Iesu Christi adductos videri, de Te ipse reticens, non possum non magnopere dolere temporum nostrorum iniquitatem, qua fit, vt vel in apertissimis caecutiant multi, atque etiam ex iis non pauci, quorum erat aliis lucem praeferre: siue me respicio a Te

roga-

rogatum, vt isti dubitationi dissertatione quadam accurate ac luculenter scripta medicinam afferre sustinerem, dicere vix possum, quantopere ab eiusmodi consilio mihi animus abhorreat. Quid enim? Nec iuuat nec lubet in manifesta veritate demonstranda multum aut operae aut temporis consumere, et vero longe difficillimum est, tali negotio ita perfungi, vt rebus sanctissimis debita reuerentia constet, nec noua illis apud eos, qui mirum quantum suopte ingenio sibi sapiunt, inuidia creetur. Docet hoc vel iste exitus illius certaminis, quod verbis Georgii III. Magnae Britanniae regis, insigni proposito praemio promulgatum, nescio, an immerito ac parum sapienter deseruerint, qui iudices constituti erant, Gottingenses Theologi: qua quidem re Vos etiam valde commotos esse non obscure significasti. Ac meo quidem iudicio nihil omnino debebatis commoueri, sed sagaciter potius ante prospicere, non facile primarium quenquam Theologum, eundemque spectato candore probabilem, ni forte res familiaris incitaret, ad id certaminis prouolaturum esse, nimirum quod aut minus deceret, pecuniae bona summa (ab hac enim quid differt moneta aurea?) ante oculos posita, Deum esse Christum contendere, aut non admodum placeret, hisce maxime arbitris deseruire, qui vel hoc sibi adsumsissent, vt conditiones ferrent ac leges, quibus qui non paruissent neu parendum censerent, causa casuri erant. Nec tamen hoc ideo a me dici existimes, quod omnem in modum reprehen-

dendos

dendos hos iudices putem. Habuerunt ſane, quod ſequerentur fugerentue hac in re, ne parum idoneis ſcriptionibus obruerentur, quibus legendis operae pretium facturi non erant. Sed dicendum tamen erat, quod res eſt, cum viderem Te Tuosque in vicinia collegas, ſplendore quodam ac ſpecie captos vacillare iudicio, vbi minime omnium conveniebat. Iam vero hoc rei quid eſt, quod me potiſſimum ad propugnandum hoc dogma, tantum ac tale, vocas, quod ſatis recte tractatum, penitusque argumentis euictum a quoquam eorum eſſe, qui ſuper ea re in arenam deſcenderant, negarunt Gottingenſes Theologi. Hi ſi apud Vos vel primo vel praecipuo quodam ſunt loco, mene meliorem ab iis ſententiam laturum fuiſſe opinaris, ſi quidem ad eorum iudicium elucubrare diſputationem non grauatus eſſem? Certe falleris opinione, niſi forte ego, qui illos norim, non ſatis ipſe me noui. Abhorrere etiam equidem ſoleo ab iſta ratione, quae multum in eo quaerit lucri, atque adeo ad rem omnino opus eſſe ducit, vt conquirantur ſedulo, nec perfunctorie refellantur, quae ab aduerſariis obiecta fuerunt, quaſi alioquin non poſſit, quod verum eſt, nec certum ſciri, nec perſpicue doceri affatimque probari idoneis ad veritatem agnoſcendam hominibus: vt non dicam, ſi tantum tribuendum honoris aduerſariis eſt, admodum prolixos libros conficiendos eſſe, quos nec ipſis brabeutis ſatis vacet percenſere. Quid multa? non committam hoc ſtatu temporum, vt vlla mea culpa

habeant profani disputatores, vnde arripientes occasionem contumelias iaciant in ipsum Iesum Christum, qui verissime Deus et est et dicitur, id quod, verendum esset, ne fieret, si, quem edidissem Eius de Deitate libellum, non magis probarent vel iidem illi designatores vel alii Theologi, qui magni praeter caeteros habentur. Ac possum, si quid est in me ingenii, si quid doctrinae, ad res alias publice pertractandas otium meum conuertere, quae non minoris sunt momenti nec item iam iamque, velut illustri quodam in iis certamine infeliciter peracto, malignorum hominum mordacitati patent.

Haec erant fere, quae post multam deliberationem ad postulata Tua respondere satius existimabam, quam hoc Tibi dare, vt de Deitate Christi, quam toto animo complector, hoc ipso tempore quidquam elaborarem. Nec sane habent illi, qui opinione incerta vagaque ducuntur, quod ab his magnopere requirant, qui, cum Deum esse Christum fidenter affirment, hunc eundem locum vsque adeo vrgent, vt rem omnem causamque salutaris fidei in eo vel maxime verti non dubitent asseuerare. Quid enim requirant? Si quid desiderant in nostratibus libris, quibus accurate nec precario expositum esse de hoc capite dictitamus, iubemus eos ipsum sacrosanctum bibliorum codicem adire, idque ita, vt non modo euoluant subinde singula, quae excitari inde solent effata, aut

alio,

alio atque alio, peregrinatorum inſtar, oculos circum ferant, ſed vt perlegant et relegant relegantque, atque animum inducant habitare his vnice in libris, in quibus Chriſtianos homines, non dicam Chriſtianae doctores religionis, hoſpites eſſe in hac, qua nunc viuitur, literarum luce, ſummae turpitudinis meritiſſimo habetur. Id ita tandem ſi facient (de praeterito ne auſint adfirmare!) nihil admodum opus habebunt aliorum adiumento ad pernoſcendam in huiusmodi cauſa veritatem, quantumuis ab aduerſariis dilaceratam. Nam quod quaerunt fere, quibus e locis particulisue ſacrarum ſcripturarum apprime pateat, aut quibus potiſſimum argumentis, inde petitis, plane ac perſpicue doceri poſſit haec, quam profitemur, diuina natura Chriſti, ſic accipiunto: longum eſſe ac prope infinitum, enumerare iſtius generis enunciata atque momenta, quae mirum etiam in modum inter ſe nexa ſunt et copulata, tamque varias probationes habent ac multiformes, vt vel eam ob cauſam, ſi rem explanare coneris, perquam difficilis negotii nec parum operoſi laboris, diſpicere et conſtituere, qua ratione ſatis idonea tractationem inſtituas, unde ſumas exordium, quo diſponas ordine ſingula recteque colloces omnia, vbi tandem facias finem, ne in immenſum excreſcat oratio. Quod ipſe expertus cum probe tenerem, tanto minus miratus ſum, in iſtis certatoribus non inuentum eſſe, niſi vnum, qui ſuper caeteros inſigniter emineret. Sicut autem permagnae difficultatis illud eſt, ita illius

difficultatis haec ipsa, quam dixi, caussa hoc efficit, vt nihil esse queat negotii, si libros diuinos studiose peruolueris, nec hisce testibus diffidas, penitus perspectum et comprehensum habere, et reuera esse Christum, velut in symbolis nostris habetur, et verissime dici Deum. Quae cum ita sint, praetermissi officii culpa pertimescenda mihi non erit, qui Tibi in eo, quod a me quasi optimo iure flagitare non dubitasti, morem non gesserim. At enim, ne nihil dedisse petitioni Tuae videar, faciam certe, quod nec illam dubitationem habet, quam exposui, et ad breuitatem est aptius, vt summatim ad Te quibusdam epistolis perscribam de hoc loco, quae, mea quidem sententia, ante omnia ad rem pertinent, ac praeterea decerpam etiam ex iis aliqua, quae non mediocriter eum adiuuant, nec eo secius a nostris hominibus, quales nunc sunt, vilipendi, vt parum cognita, vixque summis labris degustata, aut misere torqueri solent. Tu vero Tuo vtare iudicio. Quodsi Tibi, quae allaturus sum, non modo, vt spero, probabuntur, sed etiam non indigna videbuntur, quae et alii legant, quiduis iis fieri facile patiar. Sin minus arridebunt, quae scribere ingressus fuero, vel Tibi vel aliis, quos habes istic, aestumatoribus, quam primum certiorem me facito, vt reliquo supersedeam labore. Vtrumlibet, si non optabile mihi, at sane tale erit, vt pro re nata proque temporum statu abunde a me Tibi satisfactum esse fatendum sit.

Hac

Hac quasi inter nos pactione facta, moram interponere nullam, sed hic statim subiungere placet, quae ipsi quaestioni, tanquam initia, praemittenda videntur. Non pauci enim, quod parum haec quidem animo comprehensa tenent, vel ipsis sibi male prospiciunt, multa miserum in modum hallucinantes, vel frustra mirantur, nihil admodum hac nostra aetate ne grauissimis quidem argumentis profici ad vindicandam ab atrocissima iniuria ter optimi maximi Sospitatoris dignitatem. Idque iam nunc agam; vere diuina illius ope in auxilium aduocata.

Primum igitur, quemadmodum ipse Dominus, cum ex obscuritate communis hominum vitae prodisset in medium Iudaeorum (iamque ante, qui propediem illum adfore denunciabat, Iohannes) vbiuis locorum ante omnia edicere solebat, animum in melius mutandum esse, multisque modis testari, nisi Dei vnius sibi statuerent obsequendum voluntati, non posse fieri, vt de ipso, Dei quippe filio, recte sentirent ac ipsi fidem addicerent, quod quidem ad salutem prorsus opus esse, *ita* profecto hunc vsque in diem rem habere confitendum et hoc idem in vsus nostros omnem in partem conuertendum est. Quamobrem operam Te perditurum existimato, si homines eiusmodi Tibi sumseris rectius edocendos et conuincendos de natura Christi, quos facile videas longe aliter in Deum animatos esse, atque eos oportet, de

quibus ſolis bene ſperandum eſſe haec eadem Chriſtianae diſciplinae principia admonent. Superiore quidem tempore, cum firmum hoc fixumque maneret, eccleſiaſticis muneribus non praeficiendos eſſe, niſi qui ſtatutis ſymbolis nomen fidemque dediſſent, ac multum ſeueritatis adhiberetur, ſi quis latum ab iis vnguem diſcederet, ſolebant ex his etiam complures, quos in fidelium vt habeas choro aegre a Te impetres, cum alia dogmata, quae ſymbolica aut erant aut certe putabantur, tum vero hunc, qui eſt de vera Deitate Chriſti, locum ſumma ope tueri moleſtiamque non mediocrem vel iis faceſſere, quos vix exiguis quibusdam in minutiis diſcrepare intellexerant: nimirum quod honorificum vulgo haberetur, orthodoxiae hyperaſpiſten eſſe eamque ſartam tectam conſeruare. Hoc ipſum autem vel boni vel mali cum multis odioſum eſſet, mutatis interea quam plurimis rebus, quae magnam quandam cum religione hominum, qualem multitudo iactat, coniunctionem habent, ſenſim ſubnata eſt et increuit animorum haec affectio ac dira lues, vt non magni aut nihil referre exiſtiment, quid credas ſtatuasque tecum de Deo rebusque diuinis, ideoque nec eſſe, cur caueatur amplius Chriſtianorum eccleſiis de orthodoxia doctorum, immo laudabilius eſſe ac praeclarius ab hac inſcientiae, quam dicunt, aut matre aut filia, quantum cuique videatur, diſcedere. Atqui tam libero tempore, quem tandem ex his, quibus curae cordique non admodum eſt, amare Deum

eius-

eiusque ad voluntatem et animum et omnem vitam componere, ſperabis verum illud de Ieſu Chriſto euangelium, et quae ſunt eius partes, vtcunque admiſſurum apud ſe ac profeſſurum apud alios eſſe? Aliosne praeter ſenes quosdam reſiduos, eorumue de numero, qui cum hoc idem in ſcholis didiciſſent, non ita flexibili adhuc ſunt natura neu aliarum rerum cura tam vacui, vt nouam ſibi qualemcunque diſciplinam aut ipſi conſarcinare aut in via temere repertam in vſum catecheticum traducere ſatis commode poſſint? Ita redit paulatim priſtina Chriſtianae rei conditio, vt non agnoſcant nec profiteantur veritatem Chriſtianam, niſi vere Chriſtiani, ſed enormi redit cum fraude. Haerent enim in nomine Chriſtiano ii ipſi, qui rem penitus deſeruerunt, et Chriſtianos ſe venditant, qui Chriſtum ludibrio habent. Qui ſi inter ſe alius alium commendant ſummisque laudibus ferunt, non debet mirabile nobis videri: ſi nos deſpiciunt, tardos, hebetes, tenebricoſos appellantes, modice id ferre debemus, nec ideo diffidere vel noſtro acumini vel ſcripturis diuinis, quae de Chriſto quid ſentiendum ſit et cuiusmodi euangelium profitendum, ſimpliciter ac plane definiunt, grauioribus etiam contumeliis eius cauſa perferendis aſſueſcendum eſſe praemonentes. Quod qui abnuerit, nae is hac tempeſtate non magis permanſerit in fide, quam qui primo illo Chriſtianae rei tempore, vt malum defugerent, pedem referebant.

Enimuero reperias multos de Deitate Iesu Christi admodum anquirentes, qui, tantum abest, vt iam satis sibi constent, vbi de auctoritate S. scripturae quaeritur, vt hunc ipsum locum, quem illo priorem, et vero Christianae rationis primordium esse nemo non videt, vel maxime in disceptationem aduocent. Haesitant enim in multo plurimis, quae hisce in libris non ambigue posita esse, vltro et ipsi fatentur. Quibus quid facias, vt Deum esse Christum, nihil amplius dubitantes, apud animum statuant, eaque in sententia perseuerent? Nam assensum vix praebentibus in mentem hoc veniet, multa alia hisce libris ad nos tradita esse, quae ipsis quidem minime vera videantur, adeoque parum firmo haec omnia fundamento niti, quae praeter istam auctoritatem nullis aliis doceri argumentis queant. Deum autem Christum esse, quis vnquam bene cordatus aliunde, nisi e SS. scripturis aut intelligat aut ostendat? Vnum suppetit, quod his demus consilii. Si candide nihilque genio indulgentes considerare voluerint, quam miserum sit ac deplorandum, in tanta re ac tali fluctuare iudicio certique nihil habere, si reuocare in memoriam, quantopere titubatio eiusmodi mentis his ipsis in libris vituperetur, (nisi forte tanta in iis euoluendis socordia vsi sunt, vt ne recordari quidem peruulgatum illud possint, fidem in omnibus Deo adhibendam esse, qui contra fecerint, ab eo reprobari,) hoc tandem si considerare voluerint, in promtu erit animaduertere, immo liquido perspi-

perſpicere, in errore ſe verſari eoque pudendo ac peſſimo, quippe ſecum ipſi vehementer diſcordantes, niſi S. bibliorum omnem abiicere auctoritatem fidemque animus ſit, id quod ipſis apparet fieri nullo pacto poſſe. Nec vlla excuſatio in eo eſt, quod intelligere ſe negant, qualis diuinitus inſpiratio ſcriptoribus illis contigerit: improbandam nimirum nec vllo modo veriſimilem eam huius rei notionem eſſe, quam in dictatis acceptam vulgares Theologi ferant. Vt enim mittam hac de re pluribus exponere, talis certe ſcriptoribus ſacris inſpiratio contigerit neceſſe eſt, qualem Paulus 1. Tim. III, 16. vno verbo dicit, quae quidem hanc haberet vim, vt, quae ſunt θεοπνευστα ſcripta, multo longeque altiore loco habenda ſint, quam reliqui quique libri ex infinita multitudine vel praeſtantiſſimi, vtpote ſingulariter diuinitus parata, ideoque procul dubio inſpiratio talis, nihil vt deſit his ſcriptis ad recte edocendos atque inſtituendos homines in re quaque maioris cuiusdam momenti, ac denique talis, quae caueret, ne vlla ex parte in errorem inducerent haec ſcripta pro ea, qua pollere debent, ſumma auctoritate, illorumque fides ne vſpiam inanis eſſet. Tantum concedere qui ſiue renuerint ſiue dubitauerint, illis videndum eſt, qua ratione Deo ipſi ſe excuſent, de quo indigna ſentire aut certe ſuſpicari haud veritum eos ſit. Et quid, quaeſo, habent, quod opinioni ſuae praetendant? Quod nunc quidem multitudini doctorum hominum, qui fere non ratione aliqua

certa ac ſtabili, ſed obſcuro quodam ſenſu, eoque recens nato, ducuntur, multis de rebus ſecus videtur, atque auctores hi diuini diſerte docent, eo minus tantum valere debet, vt huic, quam dixi, auctoritati quidquam derogandum ſit, quod hac ratione inferenda quaſi alia quaedam auctoritas, quae tota inanis ac nulla eſt, ei auctoritati opponitur, quam ſi quis neget ipſius Dei eſſe, Chriſtianae religionis omne fundamentum, tanquam ſaxum dentibus, arrodere videatur. In primis etiam Chriſtum ipſum ferit illa hodiernae multitudinis auctoritas, qui ſi aliam viam ingreſſus eſſet, nec ipſe tam perſpicue ſolliciteque docuiſſet, quae iam nunc ex iſta multitudine inertiſſimi quique improbare geſtiunt, certe nec maioribus noſtris, nec aliis, qui vbique fuerunt, Chriſtianis, venturum in mentem vnquam erat, talia conſecrare ad credendum dogmata aut probabilis denique coniecturae loco proponere, quae nunc quidem vel a ludimagiſtro pueri cachinnis excipere ſatagunt. Repudiandum itaque totum hoc genus eſt argumenti contra ſtabilem eamque infinitam S. ſcripturarum auctoritatem, et reprobandi nobis ii, qui vel ſuo ingenio vtcunque in tranſuerſum acto, vel multitudinis opinionibus, quas conſectari laudabile ac glorioſum putant, hoc tribuunt nimium quantum, vt, modo has tueantur, ne iſtis quidem libris parcant. In quibus ſi qua praeterea repeririuntur, quae videantur in eam ipſam veri rectique conſcientiam impingere, quam inſitam naturae noſtrae

ſtrae diuinitus eſſe conſtare debet, de his non deſunt, qui bene praecipiant, vel Theologi vel Critici. Ac ita prorſus ſi res haberet, vt quidem primum intuentibus omniaque praecipitantibus videri ſolet, facile apparet, non tam eleuandam, quam penitus abiudicandam eſſe ab his libris diuinam auctoritatem. Quo progredi amentiae cum certe nolint hi, quibus per me conſultum cupis, non habeo, praeter illud idem ſupra iam poſitum, quod dem conſilii: idque parum aut idoneum videri aut acceptum eſſe bonis, quos dicis, hominibus non poteſt. Faciant ergo, vt iterum iterumque repetitis vicibus legant relegantque haec documenta: quod ſi fecerint integro in Deum animo eiusque implorata ope, ſenſim ſenſimque non euaneſcet modo incongrui prauique ſpecies, quae praeſtringebat aciem, ſed verior etiam expreſſiorque virtutis et colendi officii quaſi forma coram adſtare incipiet animo, quam intuentes incorruptius diiudicare ex eo genere pleraque omnia, in quae inciderint, et conſtantius queant. Tantum ineſſe vel remedii vel praeſidii cum dico in aſſidua S. bibliorum lectione, minime omnium ſubit animum vereri, ne, eam qui rite frequentant, vllo modo de diuina librorum V. T. ad nos auctoritate dubitare poſſint, aut qua ratione nihilo ſecius nonnulli non modo dubitent, verum etiam fidenter contradicant, non facile dixerim. Monendi mihi videntur, vt introſpiciant in mentem ſuam ipſi (licebit enim exſcribere Tullium) eamque omni cogitatione pertractantes

ctantes percunctentur ipsi se, vbi haereat aqua, nisi vel inde, quod insolentius sese efferunt, appareret, ex eo fratrum genere esse, qui ne populum quidem reuerituri sunt. Vt ipsius Christi dicta praetermittam, vel vnius Apostoli illud, quod paulo ante adducebam, satis est ad euincendam hanc rem, eiusdemque Apostoli sunt alia, quae idem apertissime declarent, Rom. XV, 4. 1. Cor. X, 11. illius, inquam Apostoli, qui ne ad horam quidem circumcisis quidquam concederet, sicubi euangelii veritas in discrimen adduceretur Gal. II, 5. Quae qui minus plana esse negant; aut vlla a se arte, quo licentius euagentur, amoliri student, cum eis pugnare, si me audies, superuacaneum putabis.

Haec habui, quae protinus his praeoccupanda literis viderentur, vt viam ad ea, quae benigno cum Deo Tibi me exsecuturum recepi, munitam iterque minus impeditum haberem. In quo facile suspicor, non defore in vicinis Tuis, qui mirentur, haec omnia a me tanquam initia necessario praemitti, dicantque aut mussitent, ita tandem se non velut bene docti cuiusdam hominis familiares dissertationes, sed quasi collegae cuiusdam sui, non valde eruditi, e suggestu declamitatos sermones lecturos esse: quippe populum quidem omnino, sed nec item honestos honoratioresque viros, eosque non indoctos atque adeo populi doctores, admonendos esse de recto in Deum animo. His quid faciendum sit, ipse Tu videris. Equidem

non

non debui nec volui hanc ob causam, quod verendum esset, ne forte riderer a nonnullis, praeterire silentio, quod permultum momenti facit in diiudicanda hac omnis rei Christianae perturbatione, qua praecipites in exitium de die in diem plures aguntur. Quid quaeris? Deliberatum mihi et constitutum est, operam meam in tractando ac tuendo eiusmodi doctrinae Christianae articulo, qualis est hic, quem nunc in manibus habeo, non dicare nisi iis, qui superiora illa mea libenter apud se admittunt aut dudum amplexi sunt, spemque de reliquis penitus abiicere, dum mentem mutauerint. Idne videor Tibi parum aut amanter aut prouidenter facere? nec hac in re auctoritate satis firma niti? De auctoritate librorum V. T. tanto etiam minus quidquam remittendum videtur, quod Christus ipse in hac eadem controuersia, quae cum Iudais ei de sua natura ac dignitate iterum iterumque intercedebat, testes hos quoque libros producere soleret, eosdemque eandem in rem Paulus Apostolus. Quod cum dico, ideo dico, vt appareat, nulla mea, hac quidem in causa, excusatione opus esse.

Proxime de re ipsa accipies non pauca, si Dominus voluerit. Apud nos scito nihil esse noui. Neque enim id ipsum nouum est, quod multum noui de rebus nostris auide expectamus. Illud quidem certe, quod Capium ad Te scripsisse suspicor, rumorem auctorem habet, eumque ab

iis maxime frequentatum, qui bene mihi cupiunt. Vale. Dabam — a. d. XIII. Aug. MDCCLXXXVIII.

II.

IOH. ASPONTANVS RUD. PLIMMELIO

S. D.

Quod in quaestionem nunc denuo vocatur, *vtrum sit Christus vere Deus*, et hoc quid sibi velit quemue sensum habeat, non aliunde nisi vnice e S. scripturis diiudicandum esse, nemo est, qui neget, eorum quidem certe, qui Christianum sibi nomen assumentes non sua quadam singulari ratione in aliena quaeuis abripi se patiuntur. At compendia, inquis, sordent recentioris disciplinae hominibus, systema foetet, ideoque tu caue, ne ratione et via, quae quidem compendiorum corporumque doctrinae et, a quo vel maxime abhorrent haec tempora, systematis est, docere quidquam

quam aggrediare! Mira narras, et certe maioribus noſtris et inaudita et incredibilia. Dabo tamen, quantum fieri poteſt, idque meo ipſius obſequens ingenio, nullius nec artis nec diſciplinae hominibus, vt non paulo diuerſam ingrediar viam, quam ſi quis vi factam ferreiſue inſtrumentis ac machinis per montes, per ſaxa perforatam dixerit, ille tandem mihi Oedipus eſto. Quae qualis ſit, accipe. Diiudicari poteſt haec, quam in manibus habemus, quaeſtio ſiue ex ipſius Ieſu Chriſti vel dictis vel factis, quae in Euangeliis leguntur, ſiue ex aliis, quae praeterea apud ſacros ſcriptores dicta in Eum ſunt. De illis ſi putem primo loco videndum eſſe, vix, credo, erunt, qui fieri id nolint, quoniam aperta eſt ratio. Sed hoc ipſum perincommode facerem, non ante de Ieſu Chriſto pariter et de Deo, qui non tum demum Iudaeis innoteſcebat, pauca quaedam praefatus. Primum ergo haec admitte, quantumuis per ſe in vulgus nota, at hac in cauſa tamen hodie a multis paene neglecta.

Chriſtum cum Deum eſſe dicimus, eundem et hominem reuera eſſe nullo modo negamus, nec fuit vnquam e bene ſanis, cui hoc non penitus ex ipſis maxime Euangeliis appareret ac prorſus indubitatum eſſet, veriſſime hominem fuiſſe Ieſum, dum in terris inter homines verſaretur, eundemque ipſiſſimum hominem, poſtquam actus in crucem vitam cum morte commutaſſet, viuum e ſepul-

cro rediisse inque coelum subuectum esse. Consequens est, vt, quae attributa diuinitus hominum naturae sunt, ea et Iesu attributa sint, et quae sunt creatarum rerum in vniuersum communia, iis nec ille vacet. Ita vel eorum e numero, qui de diuinitate Christi dubitant aut controuersiam mouent, vix inuenti sunt, quibus, si Deus sit Christus, qui idem et homo est, parum in eum conuenire videretur edere, bibere, defatigari, dormire. Id vero si satis conuenit, consentaneum etiam videri debet, quod tradiderunt memoriae diuini auctores, eum, postquam paruulus natus esset, creuisse, vt corpore, ita mente atque intelligentia, sensibus percepisse, quae ante nesciret (quod alioquin superuacui et oculi et aures ei essent), cumque Dei sese filium profiteretur, Parenti omnia, quae haberet, accepta retulisse, dicto audientem ei fuisse, maiorem etiam Patrem dixisse, quam ipse esset, quippe quod filius hic Dei *non magis Deus* est, cum Patre per se suaque natura coniunctissimus nec inferior illo, *quam homo*, non modo sua natura diuersus a Deo, sed etiam totus ab eo pendens: ideoque prorsus singularis quaedam persona, mire vtrinque temperata, quam nemo mortalis pernoscere possit. Haec breuiter anticipare visum est ad auertendas illas maxime obiectiones, quibus implicati nonnulli ne attendere quidem satis videntur, quae ad probandam vnici Sospitatoris deitatem afferri solent.

Hanc ipſam ad rem plurimum facit probe compertum habere, quae notiones de agnoſcendo et colendo Deo in antiquioribus libris ſacris informatae ſint. Ieſus enim, vt Iudaeis ſeſe repraeſentauit Chriſtum olim promiſſum, ſummatim non aliter ſentire de Deo eiusque cultu quemquam, voluit: niſi eam ad legem ac regulam, quam per Moſen priſtino tempore ſancitam poſteriores quique prophetae, vt ratam in perpetuum nec vnquam convellendam, ipſius Dei verbis etiam atque etiam confirmauerant. Cuius cum eſſet haec ſumma, vt vnum eſſe Deum ſtatuerent, eum puta, qui, quanquam omnium rerum creator ac dominus, ideoque certiſſime vniuerſi hominum generis herus, Iſraeliticam tamen gentem ante alias omnes ſibi aſſeruiſſet, eundemque toto pectore, toto animo, tota mente amandum eſſe, Ieſus non tantum hoc idem profeſſus eſt multisque modis et docuit et ſuis inculcauit, verum etiam ſancte teſtatus eſt, nec quidquam ſe exauctoraturum eorum, quae vel Moſes ſcripſiſſet vel caeteri prophetae, et vero nihil ſibi Parentis ſui ſingulari exiſtimatione ac veneratione antiquius cariusue eſſe, ſeque in omnibus debitum illi honorem ſtudioſiſſime deferre. Iam videndum eſt, illis in ſcriptis quo loco Deus, isque et omnium rerum creator ac dominus, et Iſraelitarum Deus, qui proprium ſibi Iehouae nomen impoſuiſſet, haberi ſe velit, quemue praecipuum honorem ſibi exigat. Atqui nihil negotii eſt videre, Iehouam apud illos ſcriptores ab aliis quibus-

que naturis penitus discerni, tantumque designari ac talem, cui par nemo sit nec secundus, quippe toto diuersum genere ab iis omnibus, qui cum non essent ab aeterno, ab ipso tandem hoc habent, vt sint: itemque in aperto est, vt de partibus dicam, scientiam ei tribui rerum omnium omnibus numeris absolutam, qualem alius habeat nemo, et facultatem nullo etiam negotio efficiendi, quaecunque complacitum ei sit, qua quidem et faciat patretque mirabilia solus, quae nec imitari quisquam nec assequi cogitatione possit. Adde, non magis benignum, quam iustum rerum aestumatorem esse hunc vnum, quem vere dicimus, Deum, cui omnia debentur, nec dubitare possis, quin aequo animo haud quaquam laturus sit, si quam aliam seu fictam seu veram naturam venerabundi, ceu Deum, colant homines, flocci veritate habita: et quem tandem bene sanum ac probum arbitraberis fore, qui religioni sibi non ducat, quidquam committere vel oratione vel factis, quo, verendum sit, ne eiusmodi in errorem alii aut noxam implicentur? Sic vero prorsus in S. Iudaeorum codice habetur, Iehouam ipsum edicto proposuisse Exod. XX. ac postmodum vel sexcenties testatum fecisse, Zeloten se esse, cuiuscunque impatientem socii, cui, quem sibi soli deposcat honorem et cultum, deferre ament: nec id magis ad illam venerationem, quae corpore fit et aliorum in sensus cadit, quam ad intimas animorum adfectiones ac voluntates pertinere, facillime patet et in promtu est. Nam eo

vsque

vsque Iehouam cuique apud animum ſuum conſecrandum ad religionem eſſe illi auctores declarant, vt is vnus ſuper omnia ametur, in eo vna ſolita fiducia reponatur, ab eo vno expectetur auxilium ad tolerandam hanc vitam, isque ſi ſit propitius, nihil metuatur magnopere mali et in ſempiternum optima quaeque ſperentur: aliis qualibus tandem cunque qui confidat vel numinibus ac geniis vel hominibus, eum alienato eſſe a Domino animo, eamque ob cauſam pudefactum iri.

Quae cum ita ſint, pridem etiam mihi collibitum eſſet quaerere, vnde tandem Chriſtianis a priſtino vsque tempore ſit hoc dogmatis, quod et Ieſum Chriſtum Deum aſſeuerat eſſe, niſi apprime conſtaret, ex ipſius dictis aeque ac factis et e doctrina Apoſtolorum profectam perſuaſionem eſſe. Quod olim dicunt multi, perperam ex hac parte intellecta eſſe et Chriſti dicta et ſcripta Apoſtolorum, vel ſi concederem prima ſpecie probabiliter dici, omnem in modum penitus refellitur hoc vno argumento, quod minime ſuſpicari licet, vel ipſum Chriſtum vel quemquam Apoſtolum parum cautionis adhibuiſſe, ne capitalem in fraudem inducerentur Chriſtiani homines, inque iis hi vel maxime, qui prorſus ſibi ſtatuerent tenenda eſſe, quaecunque ab Apoſtolis Domini accepta haberent. Quid enim? Vsque adeo magnifice de ſe, his teſtibus, ipſe Chriſtus locutus eſt, vt niſi eum aut falſum deliberato dixiſſe autumes, aut in nebu-

las se abdidisse, ex ipsa Deitate esse existimandus sit: qui si nollet haberi Deus, tanta de se locutus ac talia, et negaturus diserte, Deum se esse, nec ipsis factis simulaturus Deum erat. Ac certe eundem ad modum faciendum Apostolis fuisset: qui si credi omnino hoc nollent, Deum reuera esse Christum, in tanta praedicatione et ad omnes homines commendatione eius benignae voluntatis, της χαριτος αυτȣ, atque infiniti beneficii, cuius tandem essent notae, quod ne abstinerent quidem in oratione rudi ac plana ipsius Dei appellationem vel dignationem Christo diserte adiungere? Qua in re quantum insit momenti, facillime iudicabunt, qui S. scripturas vtriusque Testamenti probe cognitas habent, iique vel hac breuitate abunde sibi probatam esse deitatem Iesu Christi dixerint. Alii si minus fidant ratione breuiuscule conclusa, eaque non enumerante, sed quasi ponderante in fasciculum coniecta argumenta, hoc tamen facile perspicient, vehementer errare eos, qui tam debili fundamento dictitent niti hanc nostram causam, vt bene doctos patronos reperire amplius vix possit. Errant autem hi quidem in eo maxime, quod, parui aut nihili facientes V. T. libros, tantum abest, vt satis animaduertant, quis *vni* Deo debeatur cum integro animo summoque studio cultus, nec quidquam ex eo genere sine piaculo in alium quantumcunque conferri, vt ne curent quidem, qualem sibi depoposcerit Christus honorem, quamque nefarie tantum sibi assumendo fecisse existimandus

dus ſit, niſi coniunctus natura cum Deo ipſiusque diuinitatis particeps eſſet: errant, inquam, pudendum in modum, quod coeci ad haec omnia, pauculis quibusdam N. T. librorum perluſtratis particulis leuique interpretatione pertentatis, hoc omne, quantum eſt, dogma profligauiſſe ſibi videntur. O rem indignam minimeque ferendam litterarum hoc, quo nunc gloriamur, lumine, niſi falſa admodum gloriatio haec eſt!

Habes, mi Plimmeli, quod rem cauſamque continet, ac plurimum valere debet ad informandas melius eorum mentes, qui minus proficua a pueris inſtitutione eruditi, et vero poſtmodum futilium lectione librorum peiorem in errorem acti, vix denique male deceptos ſe ſentiunt. Sed enim iam nunc ingredienti mihi explanatius vel Tibi, vel quibus per me conſultum cupis, ob oculos proponere, quae cumulate probent, vtique Deum eſſe Chriſtum, non licebit modo, quod cupis, ab illa ratione ac via diſcedere, qua vulgo Theologi in compendiis vtuntur, verum etiam, vt in epiſtolis, non paulo ſolutiorem adhibere rationem. Quae ſi ne huic quidem parere legi videbitur, quae de firmiſſimis argumentis iubet alia prima poni, alia poſtrema, et leuiora inculcari, eam Tu legem memento ab oratore oratoribus ſcriptam eſſe, ideoque nihil ad meas epiſtolas pertinere, niſi forte ne in leuioribus quidem habebis, quae neſcio quibus deſignatoribus eſſe leuiſſima videbuntur. Diſpoſita

autem omnia mihi hoc ordine ſunt, vt primum de iis dictis factisque ipſius Chriſti dicatur, quae, niſi vere Deum illum eſſe ſuſpicere, qua ratione in eius perſonam ſatis conueniant, minime apparet, deinde Chriſti afferantur eiusmodi ſermones, e Iohannis maxime Euangelio, quae paulo apertius produnt, vt hominibus eum, ita et ſummis quibusque creatis naturis maiorem, et vero cum ipſo Deo coniunctiſſimum atque ipſius diuinitatis conſortem eſſe, tum Apoſtolorum, quae attinebit ad rem, adducantur ſeu ſingularia enunciata ſeu ſolemniores dictiones, ad extremum diiudicentur Veteris quoque T. eae partes, quae, cum generatim Deum ipſum depraedicare videantur, in Ieſum Chriſtum tamen ab Apoſtolis citata ſunt, et ſi qua his aut ſimilia aut conſona ſupperaddere viſum e re fuerit. Quo animo hoc ipſum, quod hic ſcripſi, legas, Tu videris, qui me prouocaris: ſed cuperem videre legentis vultum. Nam profecto ſpem habebis nullam, duarum triumue hanc rem epiſtolarum fore. Nec modo legendae illae Tibi, ſed etiam iudicium de illis ferendum erit, id quod prorſus meo iure poſtulo. Iamque moram quaerens nullam, protinus rem ipſam occipio.

Ieſus, vt in publicum prodiit Iudaeorum, ſicut ne Chriſtum quidem ſeſe eſſe illico profeſſus eſt, ita multo minus ipſam Deitatem prae ſe palam ferebat, idque rationibus ſuis conuenientiſſime. Veruntamen vt ab initio ita ſe gerebat ac talia factitabat,

tabat, vt Christum eum esse boni facile omnes agnoscerent, sic ab initio non pauca vel dixit de se, vel eum in modum designauit, vt minime constare sibi ipse videretur, si Deo deteriorem haberi se vellet. Exempla quaedam e Matthaei, Marci, Lucaeque Euangeliis hic ponere satis sit, quae nolim a Vobis istic alto supercilio contemni. Matth. V, 12. beatos legitur praedicasse eos, qui quamuis atrocem iniuriam ab aliis hominibus ipsius causa acciperent: sic enim prophetis olim factum esse. Spinosas subtilitates, inquient, persequitur iste! Ego vero hunc reor Illi, qui vel vnum se doctorem esse diceret, habendum honorem, vt omnino nihil eum existimem temere dixisse, omniumque minime temere, quae nemo negauerit eo dicta esse, ne quem fugeret, plane singulari dignitate esse ipsum, qui talia ediceret, magistrum. Itane illum vel ipsi Deo, cuius causa prophetis tantum exantlandum mali fuerat, non obscure exaequauisse se putes, quin Deus et ipse esset? Omitto huius generis alia, illud non item, quod cum verum de se sentire re ipsa confirmauit eos, qui, pro voluntate eum atque imperio efficere quaecunque posse, non dubitassent animo concipere Matth. VIII, 3. 8 — 13. tum vero praeter opinionem aliorum non daemonibus tantum Marc. I, 27. sed etiam inanimae naturae rerum sua auctoritate imperauit, quae fieri continuo vellet Matth. VIII, 26. 27. Marc. IV, 39. - 41. quale imperium nec olim prophetae cuiusquam fuerat,

rat, et ſane ſolius Dei proprium eſſe perhibetur Pſ. XXXIII, 9. CIV, 6. nominatim id imperii, quo fluctuantes vndae coercentur Pſ. LXV, 8. LXXXIX, 10. Si recordere, Pſalmos, qui quidem publice in templo decantari ſolerent, Iudaeorum fere quemlibet mediocriter a puero eruditum memoriter tenuiſſe, facile deprehendas, non ſine ſummo conſilio etiam eiusmodi miraculum aliquod et patratum a Ieſu et litteris mandatum eſſe. Iam ii, qui hanc rationem improbant, quid habent, quo aut nobis errorem eximant, aut ipſi ſe expediant laqueo, qui certe non caedendus, ſed conſiderate ſoluendus eſt? Verbo vt dicam, nec ea Ieſus inuerecundia erat, Dei vt imperium imitatus eſſe, qui Deus non eſſet, nec tanta facilitate Deus, vt ſui imitationem imperii oppido lubricam mirifico euentu comprobaſſe putandus ſit. Tenebimus ergo, haud mediocrem in eo Deitatis Chriſti ſignificationem fuiſſe, quod is naturae rerum, velut Deus, imperaret. Erunt, qui dicant, alias tamen Ieſum ſiue in ipſis patrandis oſtentis preces ad Parentem miſiſſe, ſiue in vniuerſum profeſſum eſſe, illius ope haec omnia ſe facere, eoque argumento putent abunde refelli, quae ex imperioſis hiſce dictis ratione noſtra concluduntur. Hoc vero non eſt nodum ſoluere, ſed concidere: quae violentia ſatis retunditur, ſi non longe repetas, non magis Deum, quam hominem eſſe Ieſum, eumque quouis modo cum Patre arctiſſime coniunctum, qui nihil nec citra voluntatem eius faceret nec ſolus et vero primum

omnium

omnium cuiusuis loci hominibus hoc voluisse perspectum, a Deo se legatum inter eos adesse. Eiusdem generis aut paulo diuersi animaduertere licet plura vestigia in iis, quae de se professus est, cum a Iohanne ad eum missi venissent percunctatum, vtrum esset dudum expectatus ille Matth. XI. Sed quoniam omni supersedendum operositate est, duobus tantum inhaerebo tribusue. Affert v. 10. a Iehoua Mal. III, 1. de Iohanne sibi praemittendo denunciatum. Verba apud prophetam huiusmodi sunt: en ego praemitto meum angelum, qui viam mihi praeparet, et protinus veniet in templum suum dominus ille, quem requiritis, et foederis angelus, quo delectamini, en aderit, inquit Iehoua Zebaoth. Ex his decerptam Iesus priorem partem eum in modum flectit, vt alterum inducat alteri dicentem: en ego praemitto angelum tibi meum, qui tuam tibi praeparet viam. Vel si prophetis nolueris nisi e prophetis lucem affundere, foederis angelus intelligendus erit is angelus, quem olim Iehoua Exod. XXIII. 20. — 23. sancito etiam hac super re foedere Cap. XXIV. 8. Israelitis ducem praemiserat, quem itidem et ipsum Iehouae, solemni nomine nuncupatum esse liquido apparet. Quae animaduersio quorsum euadat, si rem recte, neminem fugit. Sin Malachaeum legens, de more nostrorum hominum, ne curare quidem volueris aut Mosen aut hunc angelum, qui dux olim Israelitis

litis datus fuerat, tamen, quod excitat e Malachia Iehouae effatum Iesus, e Malachaeo diiudicandum est. Ita vero elucet, cum Iehoua hic Iesum sese ita permutare, vt quod facturum ille se sibi per prophetam praedixisset, id Iesus et factum nunc sibi et illis ipsis verbis olim in se dictum esse aperte innuat: quae personarum permutatio qualis tandem esset, nisi cogites, vnius eiusdemque Deitatis, quae per Malachaeum de praemittendo sibi angelo praenunciasset, esse et ipsum Iesum Christum, eundemque ipsissimum illum esse dominum foederisque angelum, quem in suum templum, quod erat ipsius Iehouae templum, Iehoua suis porro verbis praenunciatum dedit? Prorsus eodem modo laudantem Malachiae id vaticinii Iesum Lucas cap. VII, 27. nec aliter verbis suis Marcus cap. I, 2. (certe Iesum, qui hanc praeiuisset orationis formam, secutus) prophetam loquentem facit. At enim deprauatus librariorum culpa Malachaeus et ex Euangeliis corrigendus videbitur. Id vero suspicionis (vt omittam quaerere, vnde Iudaicis librariis hoc tantum sollertiae?) ne verendum quidem est, ne admittant ad hunc locum illi supra modum critici homines, qui mirifice coniecturis indulgent. Nullo enim modo haec mutatio in prophetae quadrat, si verba spectes, contextum, cuius priorem solum partem adhibens Iesus, quo tectius indigitaret, quod vellet, suo modo eloquitur eum in sensum, quem quidem altera parte plane confirmari nouerat. Ita mihi quidem prorsus videtur de Malachaei

lachaei hoc vaticinio permutatis perſonis adducto. Secus ſi aliis videbitur, commodiorem ab iis explicationem requiſierim. Sed hoc certe me bonis aeſtumatoribus probaturum confido, ſi non ſit ipſe Iehoua Ieſus Chriſtus, valde mirum eſſe, quod illud iſto modo citare in ſeſe vaticinium non dubitauit. Sed ad ſuprema veniamus, quae occaſione illa vſus Ieſus publice dixiſſe legitur Matth. XI. Grauiſſime nempe increpitis his oppidis, quae, cum plurima in iis edidiſſet miracula, non rediiſſent ad saniorem mentem, celebrare Patrem ſuſtinuit in eo, quod maximi rem momenti, ſapientibus peritisque occluſum, infantibus patefeciſſet, et hoc teſtari: omnia tradita mihi a patre meo ſunt, nec quisquam filium, niſi pater, conoſcit, nec patrem quisquam, niſi filius, cognoſcit, et cuicunque voluerit filius patefacere. Abſtineo quaerere, merumne in hominem cadere hoc poſſit, vt in eius poteſtatem Deus omnia permittat, quanquam qui pridem fuerunt Sociniani, ſpecioſius etiam expedirent quaeſtionem eiusmodi, quam qui nuperius ſuborti ſunt deterioris etiam notae Theologi. Hoc quaero, qua ratione verecundiae ſibi non duxerit Ieſus, niſi Deus et ipſe eſſet, ſecretum ſeſe aeque ac patrem ſuum a cognitione hominum dicere, et quale tandem ſit, quod ab illo ſibi permiſſum vel hoc dicit, vtrumque patefacere, ſi cui ipſe voluerit. Vtcunque ſe verſent ii, qui dare tantum nolunt, conſtrictos eos hoc vno effato, tanquam inextricabili

tricabili nodo, habebimus, quoad ipsi concedent, eum esse Iesum, quem nefas sit credi aut quidquam de se nimium praedicasse aut parum reuerentem illius Vnius fuisse, qui nollet quemquam vllo modo sibi comparem putari. Enimuero nec id satishabuit tum temporis de se magnifice loqui, sed inde quasi inferens, oratione ad populum conversa: *Venite ad me, inquit, omnes laborantes et onusti, et ego recreabo vos. Suscipite iugum meum ac discite a me — Meum enim iugum benignum onusque meum leue est.* Hic denique quid multa? Nec quemquam olim prophetam oratione de se huiusmodi vsum esse, et vnum Iehovam in sacro V. T. codice tam prolixe de se polliceri, talibusque propositis promissis siue Israelitas ad se, siue omnes, qui vbique sunt, homines vocare, id vero incognitum esse Christianae religionis magistris non debet. Non absimilem etiam formulam habes Ies. XLV, 22. eique insuper adiectam hanc rationem: *siquidem ego sum Deus, nec quisquam praeterea*, vt constaret, in vno Deo spem salutis reponendam esse. Ergone cacozelus Iesus, an ipsissimae Deitatis consors? Vsque adeo vana illa suspicio est, vt pedem figere nusquam possit: quod summus in omni ratione Christi Parentis amor eiusque multo maxima reuerentia elucet, itemque ab altera parte summe mirabilis ac plane singularis Dei diligentia et perpetua cura in adiuuandis perque omnem terrarum

orbem

orbem promovendis rebus Christi. Relinquitur, vt aut ipsum Iesum statuas Deum esse, eumque nihil a patre disiunctum, aut in hisce illius stupeas dictis. Sunt plura huius generis v. c. Luc. 21, 15. sed ne quid nimis, modo vnum superioribus addam, idque de moralibus, quibus inprimis studere aetatis nostrae homines videri volunt. Quod primum omnium ad homines praeceptum dixit Christus, de amando enixissime Deo, ei alterum, vt alii alios, tanquam se ipsos ament, esse simile declarauit ille quidem, verum nec ideo eodem omnes homines numero, et profecto altiore Deum, quam quenquam hominum, loco haberi voluit. Iam cuique vel parentes vel vxorem vel liberos vel fratres aliis quibusque cariores vel natura esse vel ex officio esse debere, et per se clarum et lege praeceptum est, vetitum autem lege, ne quis cariores eos, quam Iehouam haberet. Hunc enim ad modum Deut. XIII, 6, — iniungit Israelitis Moses, si quem vel vterinus frater, aut filius aut filia, aut peramata coniux, aut perquam carus amicus pellicere clanculum conetur ad alienos Deos colendos, ei vt ne parcatur, neu res celetur, sed ab illo ipso potius, quem auocare a Iehoua non dubitauerit, primum ei lapidem impingendum esse. Tacitos parentes, vt in re atroci, praetermittit, certe non praetermissurus, si vniuerse de praecipuo in Iehouam amore locutus esset. Sed indidem facile patet, praeter vnum Iehouam non fuisse, cui plus vel amoris quisquam vel officii ex

lege deberet deferre, quam iis deferendum hominibus erat, qui tanta cum eo necessitudine coniuncti essent: idque vel ipsa rerum inter se natura ratioque mediocriter subducta docet. Haec quorsum pertineat disputatio, vix quaerent, qui bene Dominum nostrum, Iesum Christum, amant, quem nisi Tu, Plimmeli, amares, non erat, quod vindicatam a quoquam Deitatem eius velles? Nimirum, quod ipse de se amando mirum quantum praecepit. Neque enim satis habuit, iterum iterumque asseuerare, non diffitendum esse apud alios quoscunque, qua quis in se fide esset, ne si capitale quidem supplicium ea de causa subeundum foret, sed omnem in modum publice profitendum esse, contra qui fecerint, quosue suae doctrinae puduerit in hac colluuione hominum, eos ab ipso vicissim apud patrem suum et coram sanctis angelis abdicatum reiectumque iri, verum etiam Matth. X, 38, istiusmodi dictis hoc adiecit: qui dilexerit patrem matremue supra me, non est me dignus, et qui dilexerit filium filiamue supra me, non est me dignus, vt prorsus intelligatur, non modo quae docuit Christus (docuit autem de se ipse non pauca, a quibus item discedere non licet) nunquam deserenda aut diffitenda esse, sed ipsum Christum tantum sibi deposcere amorem, vt qui cariorem alium quenquam habeant, eos indignos esse dicat, quos ipse quidquam curet. Significantius etiam declaratum hoc idem apud Lucam est cap. XIV, 26. quamuis

hebraico

hebraico dictionis modo, at multum tamen ſonante. Ad ingentem multitudinem hominum, qui comites ei itineris ſe adiunxiſſent, conuerſus: ſi quis venit ad me, inquit, nec patrem ſuum odit et matrem et vxorem et liberos et fratres et ſorores atque inſuper ſuam ipſius vitam, is non poteſt meus diſcipulus eſſe: et ſi quis pone me vadens non portat crucem ſuam, is non poteſt meus eſſe diſcipulus. Id quod hoc ſibi vult, vt Chriſto ſatisfiat, etiam cariſſimorum quorumque hominum rationem habendam non eſſe, omnes prae illo parui faciendos, nec ipſam crucem recuſandam: quod ſi cui arduum videatur, ei alios potius magiſtros conſectandos eſſe. Hic tandem qui modus eſt amoris et officii, quem Ieſus ſibi vindicat? iſne, quem hominibus aut cuiquam puro puto homini, an is, quem ſoli Deo debeas? Nec enim aut Michael archangelus, aut ſi quis alius eſt Michaele praeſtantior genius, vel ſi multo longeque maximis nos demeruiſſet beneficiis, ſupra patrem matremue amandus nobis et colendus erit.

Repete nunc animo, quae adducta ſunt, omnia. Si miratus in ſingulis fueris, qua ratione quoue conſilio Ieſus non dubitauerit eum ad modum vel facere vel eloqui de ſe, tanquam qui Deus eſſet, is, qui et longiſſime ab omni temeritatis atque arrogantiae crimine abeſſet et ſane cauſae ſuae Deum

non modo iudicem appellaret, verum etiam auctorem ac testem apertissime haberet, hoc si miratus in singulis fueris, de vniuersis hisce quid iudicandum exemplis sit, quae proposui, considera tecumque statue. Quae cum conueniant in hoc vno omnia, si Iesum Christum et ipsum credas, vt humanae, sic insimul vere diuinae naturae esse, nec eum tamen per se Deum quendam alium ac diuersum ab eo, quem vnice deueneramur, satis eo ipso probata videri debebit haec, quam dicimus, Deitas Iesu Christi, vel si alia praeterea nec in dictis factisque eius, nec caeteroquin in S. scripturis huius rei argumenta nulla extarent. Rectene an perperam sic pronunciauerim, Tuopte acumine iudicato.

Haec scripseram, cum venit ex itinere ad me Tralbius, quem nosti, exemplum afferens edicti regii de restauranda per ditiones Borussicas Christiana religione, quod quidem iam variis libellis publice carpi proscindique diceret. Dedi ei vicissim legendas has ad Te litteras, vt audirem, de omni negotio, quod mihi nunc Tecum est, quid ei videretur. Est enim, vt scis, egregie versatus in theologicis, et recentioris doctrinae pariter et sensus apprime callens. Is, perlectis etiam Tuis litteris, quas denegare roganti non potueram, attende quaeso, quam sententiam alacriter suo more expromserit. Surdis haec me aiebat auribus narraturum, ex eo quippe genere hominibus,

quibus

quibus forderent vulgares notiones a patribus acceptae, cum fuum ipfi vulgus fibi haberent, cuius captarent auram, vt plaudere fibi claro fcilicet in lumine poffent, nec meam artem, quam fibi quidem perplacere etiam atque etiam confirmabat, hoc effecturam, vt folidam doctrinam eumque, qui apud Deum effet, honorem, quam inanem apud elegantiorem plebem gloriolam mallent. Duriuscule hominem de Vobis iudicaffe autumo, qui tamen fi maturius interueniffet, valiturus apud me tantum erat, vt Tua me minus facilem poftulatio haberet. Nunc, quod facere ingreffus fum, bono cum Deo peragere animus eft. Tu videbis, quoad poteris, ne male collocata haec mea opera bono cuiquam videatur.

Tuum ergo effe volui iudicium, vtrum vel ea fola, quae edifferui, fatis habeant roboris ad probandum id, quod volumus, nec ne. Siue autem ita prorfus Tibi fiue fecus videbitur, hic protinus vel fupplementum modico vel pleno cumulum adieci. Nimirum, fi conftitutum Deo ab infinitis temporibus erat, rem tantam tamque miram ad reparandam humani generis falutem vfurpare, cum per fe verifimile eft, tum ex eo, quod folemne illi antiquitus fuit, plane certum effe debet, non fine multiplici praefignificatione id tandem confilii perfectum effe. Quamobrem, nifi vel praedictum olim illud ipfum, de Deo infimul et homine cum hominibus conuerfaturo, vel prae-

figuratum esse e S. litteris doceri possit, non sine graui causa dixeris, quam demonstrasse mihi videor ex ipsis dictis factisque Iesu Christi, Deitatem eius, seu potius religionem omnem Christianam in suspicionem venire. Ita belle admodum instituerunt facere illi quidem, qui dudum id agunt, vt omnino aut nihil aut parum praesignificatum de Christo credatur, quippe vel eum ipsum eiusque Apostolos argutiarum in laudatione prophetarum insimulantes. Quae, malum! nugae quod vsque adeo nunc occuparunt multitudinis mentes, vt parum absit, quin audire se negent, si quis vaticinia de Christo expositurum se dicat, non debui equidem Vestro acumini tantum praefidere, vt exordium tractationis sumerem ab eo, unde, si rem recte, sumendum sane fuit. Quid ergo? Feci, vt vides, ὑςερον πρωτερον, ne in ipso ingressu offenderem, quos minime vellem, praemissos a Deo prophetas etiam pone Apostolos locaturus, modo liceat, quae Iohannes baptista, vel maior prophetis, seuere praemonuit, hic statim subtexere.

Ac primum iam illud quale est, quod Iohannes satis se dignum esse negauit, qui seruile Illi ministerium praestaret? Fac enim, omnino omnium, qui a Deo creati sunt, vel hominum vel geniorum longe praestantissimum Iesum esse, eumque vniuersae rerum naturae praefectum a conditore dominum, nec vlla tamen probabilis in eo apparebit

rebit causa, cur quenquam hominem, modo non nefarium aut claudum, nedum Iohannem istum, quem prorsus eximia quadam laude ab ipso Iesu exornatum legimus, indignum fuisse putes, qui sordida apud eum ministeria obiret. Sin reipsa Iehoua is est, cui vel Seraphi se obuelent Ies. VI. 2. quanquam nihil peccantes, facile ad intelligendum est, qua ratione non magis Iohannes, quam Iesaias, qui sontem se profitebatur ib. v. 5. dignus per se vlla apud eum admissione sibi visus sit. An vero tam non parcus verborum in tanta austeritate Iohannes, vt loqueretur, quod in buccam veniret? Omitto hoc loco, quod se quidem aqua, Iesum autem Spiritu sancto baptizaturum dixit: at hoc quid est, quod id eum iam iamque acturum denunciaret, vt, expurgata sua area, frumentum in horreo condat, paleam inextincto igne comburat? Ipse enim Iesus, cum eos negaret metuendos esse, qui non possent nisi corpus occidere, formidandum potius hunc praecepit, qui et animam quiret et corpus in gehenna pessumdare. Qui quis tandem est? num Deo inferior? Iesaias quidem certe cap. VIII. 12. 13. ipsius Iehouae nomine, vt item vetat homines metui, ita unice ait Iehouam metuendum esse. Atqui metuendus ac formidandus sine dubio hic est, quem inextincto igne paleam crematurum Iohannes docuit. Nolo ne in his quidem longus esse, praesertim cum eos contemnam, qui vel Deum timendum esse negant, Christiani adhuc scilicet. Plura etiam testificantem baptistam Iohan-

nes Apoſtolus in Euangelio inducit, e quibus hoc maxime notatum velim, quod coram nunc Chriſto inclamans auditoribus in memoriam reuocauit illud iam ante luculenter pronunciatum his fere verbis: qui poſt me aderit, me praeuenit, quoniam prior me erat, cap. I. 15. 30. Cum inter homines natu maior Ieſu Iohannes eſſet, apertius non potuit dici, multo illum ante, quam in terris naſceretur, vixiſſe. In eo autem ipſo, quod aetate prior eſſet, ſatis cauſae non erat, cur maioris dignitatis haberetur (ſecus enim ipſi Iohanni factum eſt Matth. XI. 11.) niſi ab aeterno eſſet. Ita vero vel una praeconis formula non obſcure ſubmonuit, Deum eſſe Chriſtum, eamque hunc prorſus in ſenſum ab Apoſtolo litteris mandatam bis eſſe, ex ipſo eius Euangelii initio patet. Poteram ſuperaddere, quae praeterea idem ille publice interrogatus ſiue de ſe profeſſus eſt Ioh. I. 23. ſiue de Ieſu expoſuit cap. III. 26 — 36. Sed nec longior eſſe volui, et erit de his dicendi alius locus. Ex his, quae protuli, Tute iudica, qualem Iohannes Chriſtum adfore et iam iam adeſſe Iudaeis denunciauerit, eumne, qui Deus et ipſe eſſet, an deteriorem Deo? Si non liquere dixeris, quod bona fide facere vix aut ne vix quidem poſſis, conſequens erit, vt neges, aut boni praeconis officio bene perfunctum eſſe, quem eximia ob eam rem laude cohoneſtatum ab ipſo Chriſto nouimus, aut binos Apoſtolos ſatis accurate, ille quae dixerat, memoriae prodidiſſe. Vtrumuis certe perperam, vt

non

non dicam, idem esse, ac si calumniae crimen ipse Tibi impingas. Quid multa? Plane Iohanni cum Christo conuenit in hanc sententiam, quae Christum iuxta cum Deo, quem patrem suum dictitare solemne habebat, unius eiusdemque Deitatis esse censet. Quam si abiicias sententiam, non solum in tenebris palpes necesse est, sed etiam misere dilaceratam habeas omnem de Deo doctrinam, et quidem (tantumne concipere animo nefas possis?) his ipsis dilaceratam Iesu Christi et Iohannis dictis, innumerisque eiusdemmodi aliis. Vtrum enim, vt tenebras dispellas, aut Gnosticorum deliria Tibi, aut Arii placebit proteruitas, aut Socini denique impudentia? Non tam argute, quam insolenter excogitatas facile agnoscas istiusmodi opiniones, quae si probandae essent, quid erat causae, cur non ipsis potius S. litteris proderentur? Sed nulla re foedius peruertitur ratio omnis Christiana, quae quidem hoc stat aeternum fundamento, unum Deum esse, neque quenquam praeterea pro Deo colendum ac venerandum, huic uni confidendum, ab eo uno salutem ac vitam beatam et sperandam et expectandam, eique soli debitum hoc tantum honoris nulli alii habendum ullo pacto esse. Id a primo constitutum ac declaratum, inque Israelitis sub capitis etiam poena sancitum, cum per omnes diuinos libros regnaret, haud quaquam apud Iudaeos Christus nec potuit conuellere nec voluit conuelli, sed ipse professus idem illud est et sacro-sancte conseruauit, Apostoli autem per exteras etiam

nationes verbotenus docuerunt atque idoneis quibusque hominibus persuaserunt. Quae cum ita sint, satis vel una hac epistola probasse videbor, rectissime credi, Christum esse Deum, non vnum aliquem quasi de pluribus Diis, sed ea notione, quam, nihil ex ingenio fingens, paulo ante proposui.

Quod reliquum est, iterum Te rogo, ut, lectis his quoque litteris, incunctanter denique rescribas, utrum operae Tibi videar pretium facere, si perrexero, qua coepi via, hoc argumentum tractare. Illis quidem, quas XIII. Aug. ad Te dederam, quod nondum rescripsisti, vt certe debebas, mediocriter fero, coniectura scilicet excusationem ipse exquirens. Flattii Tubing. de Deitate Christi libellum, qui quidem est ille a Goettingensibus alios ante omnes laudatus, sed nec ideo decoratus praemio, bibliopolam dudum poposci, mirorque quid sit, cur nondum acceperim. Adsit nobis Domini nostri, Iesu Christi, gratia. Ita enim valebimus. Data a. d. VIII. Sept.

III.

IOH. ASPONTANVS RVD. PLIMMELIO.

S. D.

Cum alteram ad Te epiſtolam, inter alias non paucas occupationes exaratam, tandem a. d. VIII. Sept. dediſſem, nihil faciendum morae duxi, quin tali in re vlterius progrederer. Quod ipſum expeditum minime foret, ſi quo peti telo a tergo viderer. Id vero, non erit, quod metuam. Vt enim nunc ſunt tempora, non ratione ab aduerſariis, ſed tumultu res geritur, a quo illa ſane ratio, quam iſtis explicatam litteris dedi, ſe ipſa facile defendit, nec iis argumentis euerti unquam poterit, quae pridem contrariam in partem excogitata ſunt. Vertitur enim in eo tota, quo nihil nec prius, nec grauius, nec ſanctius, nihil accuratius atque expreſſius in libris diuinis ſcriptum habetur, Deum vnice vnum venerandum, longe ante omnia amandum, et neminem ei neque cogitatione compa-

ran-

randum nec eodem similiue cultu prosequendum esse. Quod qui parum pensi habent, adeoque istiusmodi dictis vel ipsius Iesu Christi vel Iohannis praeconis, qualia primum excitare mihi visum est, prope nihil mouentur, eos ego rem suam sibi habere sinam. Qui vero non reiiciendi hi, qui mirifica interpretatione in id incumbunt, vt doceant, non sumsisse Iesum ipsum sibi, nisi eximii cuiusdam doctoris partes, et in melius edocendis hominibus eius omne munus absolui? Quod unum modo si sibi voluisset talibus de se verbis pronuncians, ineuitabili errore implicati boni omnes tenerentur, quippe nihil minus, quam hanc interpretandi artem callentes, nec ad eam vnquam eruditi: id quod satis superque ad conuincendos huius generis interpretes valet. Tibi tamen si quis haeserit scrupulus, ne occulta, quaeso, sed exprome, vt videre de eo possim. De omni autem hac re sic habeto, me superiore epistola non quasi primam, quam dicas, Deitatis Iesu Christi probationem exsecutum esse, quam aliae deinceps excepturae sint, vt numerum inire queas, sed primo loco ea posuisse, quae iam satis probent non ineptis hominibus id, quod, quae dehinc afferentur, magis magisque confirment atque ita tandem stabiliant, vt nihil ex eo genere certius et exploratius esse cuiquam possit. Ita vero nunc accipe nonnulla ex iis sermonibus Domini, quos singulari eius beneficio ab vno Iohanne Apostolo litteris consignatos videmus.

Noctur-

Nocturnum illud cum Nicodemo colloquium Christi Ioh. III. mirum est, quam sit et grauis et copiosi argumenti, cuius modo versiculos aliquot delibandos hic duco. Cum penitus obscurum ille sibi esse significaret, quod Iesus de renascentia hominum ex aqua spirituque asseuerasset, vituperata eius tarditate summus magister: etiam atque etiam tibi confirmo, inquit, nos, quae nouimus loqui, et quae vidimus, testari, nec tamen testimonium nostrum accipitis. Si, cum terrestria vobis dixi, non creditis, quomodo, si dicerem vobis coelestia, credetis? Nec quisquam in coelum ascendit, nisi de coelo qui descendit, homine (i.e. Adamo ille) prognatus, qui est in coelo. Parui refert hanc ad rem, vtrum plane percipias hanc omnem orationem, nec ne. Hoc certe in oculos incurrit, eum, qui vere de se consueto verborum sensu haec loquatur, plus quam hominem esse. Quod enim de coelo descendisse se dicit, ne longissime petita quidem coniectura assequi poterit, quid sibi velit, nisi putetur hoc dicere, fuisse in coelo multo ante, quam in terris, quo tunc erat modo, praesens adesset. Ex iis autem, quae modo dixerat, apprime patet, coelum illud intelligendum esse, vbi prorsus singulariter ipse Deus sese perpetuo praesentem ostentat animique sui arcana consilia patefacere solet. Nec dubium esse dictionis hunc sensum, mirifice in iis elucet, quae publi-

publice Dominus cum illis disputauit, qui non nisi victus gratuiti caussa eum consectati essent Ioh. VI. 31—35. 38. 41. 42. 48—51. 58. 62. vbi iterum iterumque legas illum de coelo aduentum. At aliorsum interpretantur haec dicta recentioris commatis homines, iique nec indocti nec sine acumine, quibus quid facias fidenter contradicentibus? Vtique difficile est, reperire, his quid facias, quibus constitutum ac certum est, ne legere quidem, quae contra se scribantur: multo etiam difficilius in tanta, quae nunc inualuit, leuitate eruditae multitudinis, quae ampullas inanes miratur. Sed saepe isti rogare magis et orare aut ludificare, quam contendere et eniti videntur, vt requiras, quos lectores exoptent. Quod ne maleuole a me dictum putes, adponam e Glossario seu Dictionario N. T. Germanico illo, quod per hos ipsos sexdecim annos in coelum laudibus fertur, eius rei illustrem explicationem breuiuscule comprehensam. In quo primum mirere, nihil ex disputationibus Christi Ioh. III. et VI. in eo loco notatum esse, qui est de Coelo, sed hoc omne, quidquid de suo ex coelis descensu locutus Dominus est, compactum in illum locum esse, de Pane quem habet diligentissime scilicet elucubratus liber. Hic enim, ecce Tibi, inuenio hanc notulam: „Panis vitae Ioh. VI. 35. 48. de coelo, qui de coelo venit v. 32. 41. 50. viuus panis de coelo v. 57. panis Dei — qui (panis) mundo vitam dat: proximam hanc locutionem

ait

„ait iam ſat lucis afferre iſti phraſi, quam quidem „prorſus idem ſibi velle, ac ſi dicas inſtrumen- „tum, doctorem, auctorem, felicitatis: com- „muni omnium linguarum conſuetudine, quae „animam corroborent atque exhilarent, alimen- „ta, animamque ali ac perfrui alimentis dici: „quam quidem metaphoram praecipue etiam Iudai- „cis Platonicisque philoſophis in amoribus fuiſſe, „idque ſatis probari vel tantum Prou. IX. 5. Sir. XV. „3. " Hui, etiamne hic philoſophorum opus fuiſſe vocabulo? idque eo, vt attenuaretur panis vitalis notio? Apparet enim ex omni apud Iohannem diſputatione, panem vitae eum dici, quo ſi quis fruatur, mortem effugiat, et Chriſtum plus quam doctorem eſſe. Hoc autem cuius tandem eſt artis, e verſ. 57. panem Dei excitare, adſcripta lineola? et haec quid ſibi vult? idne, vt intelligatur, in ſuperioribus locutionibus coelum pro Deo dici? Vel ſi darem, vsquam locorum in libris diuinis permutari inter ſe has voces, quod minime dabo, hoc loco dare ne ſomnolentus quidem poſſem. Manifeſta res eſt v. 31. 32. 33. vbi diſcernit Ieſus a Deo coelum, panem Dei dicens eum, qui deſcendat de coelo vitamque mundo det, hoc eſt, ſe ipſum pro pane vitali coelitus a Deo demiſſum eſſe. Qua dictione cum probe Iudaei, ſuae linguae tenentes conſuetudinem, intelligerent, quid ſignificatum eſſet, idque oppido falſum eſſe putarent ac propterea in eum fremerent v. 41. 42. tamen Ieſus, tantum ab-

fuit,

fuit, vt commodius interpretaretur, quod iſtiusmodi verbis elocutus erat, vt potius, ne hilum quidem de illa duritate (v. 60,) nec detrahens nec emolliens, quenquam ad ſe venire poſſe negaret, niſi a ſuo patre pertractum etc. Satisne tam paucis confutaſſe Tibi videbor, quem innuit Lexicographus non ſignificatum verborum, ſed proprii animi ſenſum, an hoc exemplo docuiſſe etiam, rectiſſime facere, qui ne audiendos quidem iſtiusmodi interpretes exiſtiment? Patet igitur ex vtraque illarum Chriſti diſputationum, longe excellentiſſimae praeter caeteros homines naturae Chriſtum eſſe et in coelo fuiſſe, antequam in terris naſceretur. Qui cum nihilo minus vere homo ſit, non corpus tantum, ſed animam quoque habens humanam, quae multis rebus cognita eſt, conſidera ipſe, Plimmeli, tecum et quaſi medius, ſi fieri poteſt, ac neutram in partem propenſus diiudica, rectene in eo, quod e coelo ſe deſcendiſſe confirmat, ſignificationem vel ipſius Deitatis ineſſe dicam cum hominis in Chriſto natura coadunatae. In coelo enim habitare Deus apud ſacros V. T. ſcriptores dicitur, eundemque paſſim deſcendiſſe legitur, ſi qua res ſingularis cuiusdam momenti gerenda eſſet, Gen. XI. 5. 7. Exod. III. 8. XIX. 18. Pſ. XVIII. 10. aut deſcenſurus eſſe Pſ. CXLIV. 5. Ieſ. LXIII. 19. LXIV. 2. Et hic qui deſcendiſſe ſe aiebat, non erat nec Gabriel angelus, nec unus de multis coelitibus, ſed is, qui unicum Dei ſe filium profiteretur ac tanta de ſe tamque au-

gusta vtrobique praedicaret, quanta si caderent in eum, quem deteriorem esse Deo cogites, quantumuis caeteroquin excellentem, Theologia omnis biblica peruersa iaceret. Qui enim deterior Deo est, illum non gradu, sed ipso genere ab eo distare necesse est, illumque plane vetat ita coli diuina lex, vt quidquam in eo certae spei, nedum vt aeternae salutis in eo certa spes ac fiducia reponatur.

Eadem recurrit aut non absimilis ratio in aliis Iesu et Iudaeorum altercationibus, quas vel breuibus percensere ad rem faciet. Supplicium intentabant ei Ioh. V. 16 — propterea, quod sabbato hominem per triginta octo annos aegrotum verbo sanauerat. Tum Iesus, qui aliis alias argumentis ad eos in tali causa redarguendos uti soleret, auctoritatis suae tuendae gratia: Parens meus, inquit, huc vsque operatur, ita videlicet, vt ab illo uno post absolutam creationem die nullum diem intermittat, itemque ego operor. Quo dicto multo etiam magis exasperatos fuisse Iohannes refert, quod non satis habens Iesus sabbatica sese lege exsoluere ita proprium sibi patrem Deum esse diceret, vt Deo se ipsum exaequaret; nec tamen ideo eum quidquam remisisse, sed insuper hoc asseruisse v. 22. omne iudicium Filio a Patre commissum esse, quo magis constaret, ab omnibus Filium honorandum esse, quemadmodum honoretur Pater: qui Filium non hono-

 ret,

ret, ab eo nec Patrem honorari. Hoc tandem quo pacto ſtabit, ſi non ſit Chriſtus natura Deus? Dices, poſſe tamen pro ſua poteſtate Deum, ſi quem ei placuerit, ſiue ex angelis ſiue ex hominibus, ſummae rei praeficere, quem ab omnibus, quae vbique ſunt, mentibus, quaſi ſuum vicarium eodem coli honore velit, quo ipſe proſequendus eſt, quippe tanta et virtute praeditum et laude cumulatum, vt nihil ei deſit ad hanc ſuſtinendam perſonam. Id vero Deum, vel ſi poſſit infinitae ſuae virtuti ſatis convenienter, idcirco et velle, habeo, cur negem ac pernegem. Nam rem eiusmodi ſi deſtinatam apud animum ſuum habuiſſet, nunquam facturus e contrario hoc erat, quod fecit, vt ſanctiſſime ac repetitis vicibus aſſeueraret, nolle ſe quidquam illius honoris, qui vni ſibi debeatur, alii cuiquam tribui, penitusque Iſraelitis in perpetuum religionibus interdiceret omnibus, quae non vni ſibi haberentur Deut. XIII. 2. Quam legem ne vllo modo chriſtiani homines ex oculis dimitterent, angeli etiam, ſi cui in conſpectum ſe darent diuinitus miſſi, vsque adeo diligenter cautum voluerunt, vt ne eum quidem honorem ſibi paterentur praeberi, quem non erat, cur ex ipſis hominibus vel domini vel dignitate quadam conſpicui repudiarent, Deo dicentes, non ſibi, praebendum eum eſſe Apoc. XIX. 10. XXII. 8. 9. Quam ſententiam de vno deuenerando Deo mordicus tenentes eo tempore Iudaei, recteque tenentes, vel in tanta adverſus

versus Iesum animorum obstinatione laudandi magis, quam vituperandi aut capitis accusandi viderentur, nisi et praesignificatum olim multis modis diuinitus esset, Iehouam ipsum aliquando in terris adspectabilem adfore, et Iesus, quemadmodum testificari solebat, aeterni Patris opera in omnium oculis designasset. Quod autem is omnia, quae haberet, accepta Parenti referebat, vt in ipsa diuinitate non dicam alium cum alio rationem eiusmodi habere, quam inspicere nemo possit, huius rei non parum in eo esse causae confitendum erit, quod non magis Deus, quam homo est Christus, nec solum ob alterutram naturam Dei filius nuncupatus, qua de re postmodum videre licebit.

Praetermitto eius alia dicta, quae huc faciunt illa quidem, sed longiorem orationem, quam pro epistolarum modulo, desiderant. De aetate Iesu quod fidenter negant Iudaei, ille mirifice affirmat Ioh. VIII. 56 — 58. paucis expediri potest. Negant, quinquaginta illum iam annos habere: tantum abesse, vt Abrahamum vidisse putandus sit. Ille contra: sanctissime vobis confirmo, inquit, priusquam Abrahamus nasceretur, ego sum. Quod verbum si qui sic interpretantur, vt nonnisi destinatum a Deo iam pridem ante natum Abrahamum intelligi velint Christum, non tam refellendi, quam contemnendi videntur. Nec enim dictio per se ad hunc sensum apta est, nec prouisus

apud Deum Chriſtus, qui nondum ipſe eſſet, videre Abrahamum potuit, nec is diſputator ac talis Chriſtus erat, qui fucum Iudaeis facere ſtomachumue mouere mirabilibus verbis vellet, et vero, ſi nugae placent eiusmodi, omnes omnino mortales, in eisque vel ipſe Abrahamus, ante natum Abrahamum fuiſſe dicendi ſunt, quippe vna omnes multo ante apud Deum, ſuo quisque tempori, deſtinati. Itaque ſole clarius eſt, Ieſum his verbis ſeſe vetuſtiorem Abrahamo dixiſſe, idque in iſto cum Iudaeis iurgio, quod ob hoc ipſum denique dictum a contumelioſis in eum verbis ad lapides vertit. Quid vero? Abrahamo tantum vetuſtiorem, an omnibus omnino hominibus ipſoque mundo? Aperta eſt in diſputatione ratio, cur Abrahami potiſſimum antiquitatem aetate ſua minorem dixerit, de Adamo certe idem aſſerturus, ſi de Adamo idem illud aduerſarii quaeſiuiſſent. Nec erunt fere, quibus ſecus videatur, ne hi ipſi quidem, qui ineptis interpretationibus propriae contumaciae conſultum eunt. At Deum eſſe Chriſtum, non ita ſtatim conficitur! Videant, qui moram interponendam ducunt, quem angelum aut genium arceſſant, qui copulatus cum excellentiſſimo aliquo homine proloqui de ſe vere poſſit, qualia Ioh. VIII, 12 — 58. relata leguntur. Ne quid nimis, vnum modo, qui proxime huc pertinet, verſ. 56. appello, quantumuis ab interpretibus vexatum, qui litem inter bonos dirimat, hoc fere Chriſti dicto: Abrahamus, veſter parens, meum videre

diem

diem gestiit, viditque et laetatus est. Qui sit is dies, cuius videndi cupiditate flagrasse Abrahamum, quoque viso laetatum eum esse Christus dixit, in quaestionem merito venit. Dictione solemni prophetae diem Iehouae vocitant eiusmodi tempus, cum insignibus euentis Iehoua seu benignum se seu seuerum hominibus praebet, nec item alius cuiusquam singulari numero diem, quo quidem insigne aliquid is facturus sit feceritue, hac denotatum phrasi in antiquiore S. codice reperias. Atqui facile patet, et Christum diem hic suum ad eundem modum dixisse, aliasque diem filii hominis h. e. suum diem, quemadmodum supremi iudicii tempus Apostoli diem Domini, diem Christi dicere consueuerunt, et vero Abrahamum, quodcunque vel speraret vel adipisceretur boni, ab vno Deo expectasse eique posthac vni acceptum retulisse. Subindicari autem his verbis, quod Abrahami olim aetate euenisset, et per se in promtu est, et intelligitur ex eo, quod prorsus in eam sententiam, non inuito Iesu, ab aduersariis accepta fuerunt, quippe regerentibus ad haec illud ante a me propositum, quinquaginta nondum annorum eum esse, qui Abrahamum se vidisse dicat. Qua ratione cum conueniant haec inter se omnia, illudque Christi de longaeuitate sua dictum tam planum sit, quam quod planissimum, nec tamen, quo pertineat, vllis indagari vestigiis possit, nisi de aeternitate eius certum statuas, vides profecto,

quantum vel vna haec a me adducta prolixioris disputationis periocha valeat ad Deitatem Iesu Christi non pronis in contrarium mentibus probandam. Neque enim aut temere quidquam ille dixisse, aut sine magna quadam ratione talia dixisse existimandus est, praesertim isto suo tempore, cum in templo medios inter inimicos versaretur, quorum vt lapides euaderet pariter et maledicta comprimeret, atque apud alios etiam fidem dictis adderet, non sine miraculo ex omnium conspectu euanuit. Si quid adhuc desideres, euolue, quaeso, Gen. XVII. XVIII. coll. Rom. IX. 9. de nascendo tandem ad praestitutum tempus e Sara Isaaco more prorsus insolito semel iterumque promissum, quod quidem eius posteris Iudaeis, qui de Abrahamo parente non optimo iure in hoc etiam iurgio plus semel gloriati erant, non magno in pretio esse poterat.

Ordine pergo ad Ioh. X. 22 — 39. Encaenia dum aguntur, nouum ei natum ex eo periculum est, quod interrogatus in templo a circumfusa Iudaeorum multitudine, essetne Christus, an non, incredulitatis eos arguens de ouibus suis esse negaret, hac fere adiecta oratione: oues meae dicto audientes mihi sunt, egoque illas noui, et sequuntur me, egoque vitam eis do sempiternam, et nunquam peribunt, nec rapiet eas quisquam e manu mea. Parens meus, qui mihi

eas

eas dedit, maior omnibus eſt, ac nemo rapere e manu parentis mei poteſt. Ego et Parens vnum ſumus. Hic quiduis excogitent potius, quàm agnoſcant, quod res eſt, nec tamen eripient proborum ex animis verborum notiones, quibus ex vſu loquendi communi imbuti ſunt. Hi primum negabunt, quenquam praeter Deum hominibus vitam aeternam dare poſſe, nec dare poterunt, nihil violari iuſtam Dei reuerentiam, ſi qualis tandem cunque non Deus tanta verborum granditate vtatur, vt ſeſe dicat hoc dare, quod vnius Dei eſt dare, non poterunt, inquam, concedere hoc nefas, ne ſi admitteret quidem paulo aliam interpretationem iſta locutio. Deinde quod e manu ſua ereptum iri ſuas oues, e manu patris ſui eripi poſſe negat, alterum auctoritate ſua, alterum non ſine praemiſſa ratione, quam omnes concederent (ergo ex conceſſis) quod Pater ſuus maior omnibus eſſet, in eo ſane, niſi cauſa idonea ſubeſſet, easdem voces repetiturus non erat. Denique, quaſi cauendi gratia, ne ſibi fraudi vel apud inimicos vel apud bonos foret, quod Patrem ſuum maiorem omnibus dixiſſet, quem apud amicos diſerte ſe ipſo maiorem aiebat (Ioh. XIV. 20.), hoc ſubiicit: Ego et Pater vnum ſumus. Quam enunciationem ſeu vi ſeu precario eleuant, qui dicunt, eandem ſententiam vtriusque ac voluntatem his verbis denotari. Vt enim mittam, de

potentia potius, vtpote de manu, quam de voluntate proxime dictum esse, non Graeci idiomatis aut Hellenistici, sed prorsus Germanici est; eos, qui inter se idem sentiunt coniunctimque id agunt, vt optata consequantur, dicere unum (eins) esse, qui ne Latine quidem vnum, sed, quantum scio, rarissime plurali numero iidem esse argute dicuntur, e. g. in Cicer. epist. ad Attic. X. 6. Pudendam itaque dixerim, bona Tua pace, hanc interpretationem, videlicet qualem ex epistolis obscurorum virorum data opera effingas, donec ostensum sit, e Graecorum Hellenistarumue potius loquendi consuetudine, quam ex interpretum istorum vernacula, petitam eam esse: et hoc ipsum cum fuerit ostensum, tamen optimo meo iure dixerim, vnius vocem adhibitam huc esse a similitudine earum rerum, quae cum pluribus partibus constent in vnum coniunctis, vnum esse dicuntur. Recurrit vnius haec notio, non paulo remissiore quidem sensu Ioh. 17, 20. 22. 23. sed neutiquam alieno ab hac re, vt videre est Rom. 12, 4. 5. 1. Cor. 12, 12 — Quid quaeris? Ipsi illi, qui negotium Domino facessebant, Iudaei ad eius hunc sermonem v. 27 — 30. ita exarserunt ira, vt lapidibus eum obruere iterum conarentur, interrogatique, quid ita? responderunt v. 33. ob probrosa dicta, et quod Deum se faceret. Iam illos si concederem malos interpretes fuisse, Tu qualem fuisse doctorem Iesum dices, qui tam ambigue de se locutus sit apud eos, quos malignos admodum esse

probe

probe nosset, vt vel ipsi Deo conferre se et coaequare videretur? At vero tantum absuit, vt aliorsum accepta vellet, quae dixisset, vt recte potius ab iis accepta esse agnosceret ac idem illud magis etiam confirmaret. Nam admonitos de pronunciatis diuinis, quae Deos dicerent vel eos, ad quos effata Dei pertinerent, senatores Israelitarum et iudices puta, interrogauit, qua scilicet ratione sibi, quem Pater ab omnibus discretum miserit, blasphemiae verterent, quod filium se Dei dixisset, insuperque haec adiecit: si Patris mei non facio opera, ne credite mihi: sin facio, vel parum mihi credentes, operibus creditore, vt cognoscatis credatisque, in me Patrem, meque in Patre inesse. Idque dictum comprobauit iterum hoc facto, vt inopinato illorum manus effugeret. Hic ne vernacula quidem obiiciet nebulas, quo minus verum videant e bonis ii, qui facile alioquin in errorem induci se patiuntur. Eum enim Dei se filium esse, significat his verbis Iesus, qui, quae Pater facit, et ipse faciat, idque non loquens de animi sensu ac faciendi ratione morali, sed de efficiendi vi ac potentia: atque adeo inuicem se in Patre, in se Patrem esse declarat, quod quidem vt natura inter se coniunctissimos, sic in hac potissimum complexione oratio congruit ad illud ante dictum: ego ac Pater vnum sumus.

Id ita prorſus eſſe, vtrum tandem accuratiore explicatione peruincendum mihi eſt, an illis, qui adhuc dubitant, videndum, ne cernere nolint, quae in oculos incurrunt? Sed ſuperſunt in ipſis apud Iohannem Ieſu dictis, quae commonſtrent idem illud, quod modo planum feciſſe mihi videor. Cap. XII. 44. legitur, item in templo exclamatum ab eo hoc eſſe: qui me videt, eum videt, qui me miſit, idque ipſum Cap. XIV. 7—11. diſcipulis elegantius inculcatum, audita etiam hac ratione, quod ipſe in Patre, Pater viciſſim in filio eſſet, in eoque maneret atque illa ederet opera: quibus verbis quis eſt, qui dicat, nonniſi animorum conſenſionem declarari? Praetereo alia, ne ſim longior, quam optes, iam nunc deſiturus in precatione omnium grauiſſima Ioh. XVII. cuius verſiculum 3. certe non eſt, cur exiſtimes contrariae ſententiae fauere. Vnus enim profecto, isque ſolus Deus eſt, qui habet filium, quem in mundum miſerat, nec eum propterea non Deum, ſed ipſa potius illius e natura promicantem, eundemque et hominem reuerentem Dei. Quae res quod eſt prorſus ſingularis, non poteſt fieri, quin ſingulariter enuncietur. Et hoc quidem ſatis ad propulſandam obiectionem eſt. Illud autem, quod in ſe pariter et Patre ſuo cognoſcendo vitam hominum ſempiternam verti Ieſus ait, ne conſentaneum quidem ſummis rationibus videretur, niſi credi ſe ipſum vellet ex vna Patris diuinitate eſſe. Iam hoc quid

eſt,

est, quod v. 5. precatur Parentem, vt eadem cumuletur apud eum gloria, qua vsus apud eum ante conditum mundum esset, nisi precari mirum id quantum putes eum, qui ab omnibus creatis rebus diuersus, adeoque vna cum Patre ipse Deus, sed idem et homo sit? Ita enim humanitati suae diuinam gloriam exposcere non incommode intelligitur, idque verbis eiusmodi, quibus alioquin quem tribuas sensum, non inuenias. Quis enim non obtusi ingenii audiat eos, qui animum inducunt opinari, locutum hoc modo Christum esse de destinata a Deo sibi ante conditum mundum gloria, tanquam de ea, qua gauisus iam esset ante conditum mundum? Quasi vero apta verba non habuisset in promptu aut Dei filius ad eloquendum, audientibus Apostolis, quod certe nolebat ab his in alienum sensum accipi, aut testis Apostolus ad exponendum plane ac perspicue, quod Illum precantem audiuisset, de re potissimum eiusmodi, quae vel maxime vnius Dei honorem attingit. Ac istiusmodi precatio si ita accipienda esset, non ineunuste nostrum quisque precabitur, vt Deus eam nobis gloriolam ne dedignari velit impertire, quam ante conditum mundum habuimus. Sed cedo, quamnam habuerimus nos quidem ante conditum mundum?

Comprehende tandem vna cogitatione haec vniuersa, quae vel hisce meis vel proximis litteris

per.

percensui ipsius de se enunciata Christi, Tecumque perquire ac statue, satisne habeant roboris ad conficiendum id, quod propositum est, nempe apud eos, qui sincera mente verum quaerunt. Si forte singula minus habere putes ponderis, propterea maxime, quod subit animum vereri, ne adhuc obscurum sit, quid quodque sibi velit aut quo pertineat, quod ipsum tamen in his, quae ego quidem selegi, non video, quam dubitationem habeat, at vniuersis quid facias in tanta, quae in propatulo est, omnium inter se conuenientia et conspiratione in hoc vnum, vt Deum esse Christum intelligatur? Quod enim ne semel quidem eum aut imprudenter aut arroganter fecisse suspicari licet, vt ceu Deus loqueretur, cum nollet vllo pacto nisi vnum Deum sancta mente coli, id multo minus toties aut inconsiderate aut sine summa ratione fecisse existimandus est is, qui innumeris factis orationi suae addidit fidem, sibique et credi et plane confidi, sempiternum interminatus diffidentibus supplicium, postulauit. Ergo igitur meo quidem iudicio, religio esse debet dubitare, an sit Christus Deus, qui haud dubie Deitatem prae se tulerit, ac nihil minus christianum est, quam praefracte negare, Deum esse Christum, qui cum istiusmodi dictis necessario multos in eam sententiam adduceret, vt Deum eum esse crederent, nusquam legitur negasse, Deum se esse. Sed haec hactenus. De Apostolorum hanc in partem doctrina deinceps, tum vero de notione filii Dei, quae videbuntur.

Vix-

Vixdum haec ſcripſeram, cum allatae mihi ſunt Tuae litterae XXV. Sept. tandem datae, quo tempore equidem domo ad Irenaeum profectus ad ſeptimum cum eo diem vixi, qui qua in me liberalitate vtatur longum eſt dicere. Conſilia etiam cum eo contuli de meis rebus ſatis ſingularibus, quas cognoſces ea, quam huic epiſtolae adieci, ſchedula. Ex itinere et abiens et rediens ſalutaui Quercicum, qui adhuc vel Te inuito chronologiam biblicam mirifice colit, rei familiaris negligentior ille quidem, quam par eſt, ſed nec egenus tamen, nec parum in me benignus. Paulo ante nos inuiſerat Heminarius, qui quidem ita mei cupidus eſt ac amans, vt vel minima mihi facta iniuria ſtomachum ei moueat. Multo ille labore diſtentus vix tertiam hic lucem vidit. Tuas autem litteras ne videar ex animo dimittere, eas ſcito gratiſſimas mihi eſſe, quod ſignificant, meas binas acceptas Vobis fuiſſe et reliquas certo fore. Sed vellem ſcripſiſſes etiam, plusne in his litteris, an vero in Boruſſorum regis edicto, momenti fuerit ad auertendas a mala contagione mentes. Nam auctoritas regia in tali cauſa ſi plus apud Vos valuit, quam recta ratio, periculum eſt, ne ſatis conſtantes non ſitis, denuoque mutatis temporibus, quae ne nunc quidem mutata ſunt, in peius ruatis. Tenendus Chriſtus eſt, qualem docent S. ſcripturae, ac palam profitendus, vel ſi omnes Ei, vt in principio, reges ac principes infenſe aduerſentur. Caeterum difficultatibus iſtis, quibus nonnulla ex his, quae

attuli

attuli, affecta Vobis visa sunt, proxime bono cum Domino respondebo. Vale cum Tuis cumque vicinis omnibus, qui legere meas huiusmodi litteras non dedignantur. D. VII. Octobris.

IV.

IOH. ASPONTANVS RVD. PLIMMELIO.

S.

Post acceptas tandem Tuas litteras, quas binis meis efflagitaueram, misi ad Te tertias, quas item spero recte redditas esse. Iam quod putaram, ab hoc ipso potissimum tempore affatim mihi otii fore ad perficiendam hanc rem, quam per epistolas tractare institui, opinio me fefellit. Allatae enim a bibliopola litterae significant, vlterius progrediendum esse in illo opere, cui finem factum iam esse et Tu rebare, cum ad defendendum hoc dogma me vocares, et ego plane confidebam. Quid tum?

tum? Nec illud deserere mihi animus est, quod, boni exoptant, vt quam longissime producatur, nec inchoatum hoc relinquere, quod simul ac promisi, praestare coepi. Itaque connitendum acrius erit, vtrique vt satisfiat, sed lente festinandum, ne parum considerate tractetur, quo nihil est ponderosius. Igitur nec ideo non rescribendum ad ea, quae notare in istis meis litteris vel Tibi vel vicinis Tuis visum est. De his ergo ita habe.

Primum, quod miramini, initium ipsum ab iis rebus sumtum esse, quarum alii eadem in caussa mentionem vix fecerint, in eo si non errare Vos dixerim, quod facile tamen esset ostendere, at certe parum acutos esse dicam. Cum non modo homo esset Iesus, sed etiam non videretur primo suo tempore nisi homo esse, idque summo consilio prouisum diuinitus esset, minus ei conueniens erat, protinus palam pro Deo se gerere, Deumque se diserte profiteri, sed, id quod facere solebat, subinde prodere indiciis quibusdam satis notabilibus diuinam, qua erat, naturam, quibus animaduersis hi, qui animos ei addixissent, paulatim assuescerent veriora sentire. Id ipsum secutus ego ex his indiciis collegi, qui clariora praeter caetera videbantur, vt eos, si fieri posset, sensim ab errore reducerem, qui, si tamen nulla sua culpa errant, non dissimili in ignoratione versantur. Quos si putas vix percepturos esse huius argumenti vim, quam inesse in istis Iesu Christi dictis meae litterae

docent, non video, quales esse fingas. Aut enim sedulo cauit Iesus, ne Dei videretur inuadere honorem, si Deus non erat, aut Eius virtutis nostra omnis concidat reuerentia necesse est, insimulque veri et falsi in christiana religione notae euanescant: quippe quod nihil tam sancte tamque seuere in sacris litteris cautum est, quam ne cui alii habeatur, qui soli Deo debetur honor. Idne tandem ad intelligendum facile, an difficile est? Iam vero considerent secum, vtrum dici fas sit, Christum ab ea re, quae tantae cautionis erat, sibi vtique temperasse; an fidentissime credendum sit, vere diuinae non minus eum, quam humanae naturae esse, vel si illa tantum eius intueare dicta, quae apud Matthaeum, Marcumque et Lucam habentur. Sed adiuncta quoque Iohannis baptistae de Iesu adseuerata habetis, et nunc etiam quae alioquin Iesus de se magnifice pronunciauit, e Iohannis Apostoli Euangelio. Fidem autem, qua esse in Eum ob sua ipsius haec dicta debemus, incutere inuitis aut in alia intentis animis quis possit? Atque in eo vel maxime haesitare videmini, quod longe plurimos animaduertitis decantatis rationibus nullis moueri, eosque nec valde commotum hisce meis argumentationibus iri speratis. Sed hoc rei quid est? Si disserendo ac disceptando perpelli ad assensum ac fidem rectis rationibus commodandam contumaces etiam et ab agnoscenda veritate alieni vel possunt vel debent, requirendum potius ab ipso Christo eiusque Apostolis erat, vt neminem

minem paterentur ab amplexando Euangelio auersum manere, vllaue in ratione contraria perstare. Sin vero id nimium est, nec vllo modo consentaneum aut naturae hominum aut constitutis ei a Deo finibus, quid in mea illa rerum desideretis explicatione, apertius debebas perscribere.

Adiecisti alteram admonitionem, tanquam a priore diuersam, de illo maxime loco, qui est de vaticinio Mal. III. 1. ab ipso Christo non sine notabili verborum immutatione adducto Matth. XI. 10. Rem nimis perplexam esse dicis, nec satis aptam ad aduersarios melius edocendos, multusque in eo es, vt mihi persuadeas, abiiciendas esse his temporibus hisque moribus in tali causa tricas, quas dicis, eiusmodi. In quo facile dederim, non expeditissimum eum locum esse, obtemperabo etiam bene monenti, eoque libentius, quod ipse hanc legem mihi scripsi, ne spinosas tortuosasque conclusiunculas vllam vnquam ad rem probandam adhiberem. Verum, vt non sine idonea quadam causa istam fecisse verborum permutationem censendus Iesus est, ita hoc saltem euidenter demonstrasse mihi videor, nisi vere Deus esset, haud quaquam apparere, immo demirandum esse, qua ratione vel omnino in se deriuare illud praedictum, vel isto modo in allocutionem deflexis vocibus excitare potuerit. Ac nihil hic agant illi etiam, qui, oeconomiam Iudaicam ex antiquitatibus scilicet edocti, sicubi aqua haeserit, meras accommo-

dationes scriptorum V. T. crepant. Reponetur enim, tanto minus accommodaturum in se Iesum, praesertim isto modo, illud vaticinium fuisse, si Deus ipse non esset. Quod autem tantae Tibi curae aduersarii sunt, non satis attendere videris, quales illi, quo ingenio, quoue animo sint, anne velint meliora discere. Equidem non edocendos indociles mihi sumsi, vt meminisse debebas, sed admonendos bene dociles, eosque non iam aduersariorum militantes in castris. Itaque bona Tua cum venia pergam, qua coepi via.

Non obscuris saepe nec ambiguis indiciis Iesus Deum se esse significauit, videlicet cum Patre natura coniunctissimum. Id si binis superioribus litteris planum fecisse me dicam, non nimium dicam. Idem vero rationibus suis conuenienter abstinuit, Deum diserte se dicere, nisi forte tantundem esse existimes hoc, quod post reditum in vitam amicorum in circulo a Thoma Deum se passus est dici Ioh. XX. 28. Nam hanc prorsus Thomae mentem, si non ante, at tali demum tempore fuisse, cum mirabundus enm his verbis salutaret: ὁ κυριος μȣ και ὁ θεος μȣ, perperam in dubium vocant, qui sensum etiam communem non grauate deserunt. Nam cum omnino a verisimili ratione abhorret, vna dictione Iesum, altera non item Iesum, sed diuersum ab eo Deum appellatum esse, tum vero solemne in Psalmis est, ideoque Iudaeis procliue, Iehouam etiam plus bifa-

riam

riam oratione continua compellare. Ac simillima vide, sis, verba Ps. V. 3. XXXV. 23. eademque apud Alexandr. interpretem, quae qui videat, dubitare nullo pacto possit, quin, quem Dominum suum vocauit, eundem et Deum suum vocauerit Thomas. Idque cum reprehendendum esset, si erratum foret, Iesus amantissime potius et admodum significanter comprobauit, remque sane non sine causa memoriae prodidit Iohannes. Vis argumenti in aperto est, sed adnotanda haec videtur sententia: Quod illo se decere tempore non putauit Dei filius, quippe et Adamo prognatum necdum ad Patris dexteram euectum, vt Deum ipse se diceret, id satis decere suos de ipso dicere omnino putauit. Ita vero multo etiam magis post acceptas Spiritus S. vberrimas dotes Apostolorum erat, sicut omnem salutis Christianae rationem explanatius edisserere, ita summam Sospitatoris vnici super omnia excellentiam ac dignitatem absque ambagibus simpliciter ac propriis quoque nominibus efferre, ad eos certe discipulos, qui prima rudimenta edocti iam erant. Iam hoc si videas ab iis fectum esse, si Iesum Christum eorum in scriptis et vocatum Deum et infinita laude diuinae virtutis insignitum, si ei assignata auctori, quorum vnus Deus extitit auctor, si ex antiquiore Canone in eum translata eiusmodi dicta, quae quaue ex parte non pertinent nisi vnum ad Deum, et quae sunt huius generis simi-

 lia,

lia, haec si videas Apostolorum in scriptis suo lumine radiare, non quaero, Tibine satis id superque sit, vt nihil dubites asserere, verissime Deum esse Iesum Christum, hoc quaero, qualia tandem desiderare videantur argumenta hi, qui hac de re sibi negant persuasum esse? Atqui haec tanta in Eum ac talia dictitata ab Apostolis et scripta esse, age, videamus!

Primus ex eis scriptor Matthaeus Cap. *III.* 3. adfert Iesaiae illud de Iohanne praedictum, vocem in solitudine clamantis auditum iri, quae admoneat, vt praeparetur via Domini eiusque semitae rectae fiant: in eoque certe, quod nemo non intelligat, vt ab vna parte Iohannem, sic ab altera Iesum agnitum voluit, quem quidem pone se venturum Iohannes denunciauerat v. 11. 12. coll. Ioh. I. 30. 31. Apud Iesaiam autem (Cap. XL. 3.) ipse Iehoua qui fere Dominus vertitur, idemque Israelitarum Deus is est, cui viam semitasque praeparandas esse in solitudine praeco exclamaturus erat. Quod nisi fingas Apostolum latuisse (quem qui latere potuit, qua significatione apud Hellenistas in eiusmodi oratione veniat Κυριος, cum Graece scriberet Hellenistarum idiomate? vt abiiciam Hebraicum Matthaei Euangelium) non dubitare debebis, quin suggerere insimul hoc voluerit, et Christum Iehouam esse, Israelitarum Deum, idque non paulo apertius, quam ipse Ie-

sus

ſus Cap. XI. 10. Hoc enim ſi nollet, faciendum erat, vt ſiniſtram et eam tamen planam ac facilem interpretationem adiecta quadam notula auerteret. Conferendus cum Apoſtolo et Gabriel Apparitor, cuius verba Luc. I. 16. 17. nec accipi poſſunt aliter, nec aliter accepta a Zacharia ſunt v. 76. Spiritus S. ex adflatu eadem proloquente. Longum eſt multique negotii, integram ex Ieſaia periocham, quam Luc. III. 4. 5. 6. adductam videas, explicare, quapropter Tuum ſequendum conſilium et hoc labore ſuperſedendum videtur.

Ordine venio ad eum locum, qui vel maxime et haberi ſolet et eſt claſſicus, Ioh. I. 1 — dico, ſiquidem diſtinctius de Deitate Ieſu Chriſti exponit. Eſt autem haud dubie genuinus, vsque adeo indubitate totus, vt, qui patrum noſtrorum memoria omnem lapidem commouerat, adſcito Lucae Mellieri Artemonii nomine, Samuel Crellius, vt doceret, Iohannem ipſum non ſcripſiſſe ϑεος ἠν ὁ λογος, ſed potius ϑεȣ ἠν ὁ λογος, tamen caeteroquin huius Euangelii prooemium ſollicitare non auſus ſit. Nec magis e recentioribus hac in cauſa Socinianorum adſtipulatoribus inuenti ſunt, qui tantum ſibi praefiderent, vt criticis argumentis hoc libri caput ſperarent conuelli poſſe. Spernendus itaque Guil. Abr. Tellerus eſt, qui (ad Ioh. Alph. Turretini de S. ſcripturae interpretatione tractatum, p. 381.) ſatis habuit in parentheſi dicere, de ſua quidem ſen-

tentia Iohannis non esse Iohannei Euangelii exordium. Interrogati non respondent istius generis homines: at nec attinet interrogare, ecquibus discipulis αὐτὸς nudam sententiam scripserit. Sed Artemonii etiam illud θεȣ ἦν ὁ λογος (quod nuper vnus, quod sciam, Bahrdtius recoxit) ab hominibus doctissimis penitus explosum est, ita quidem, vt vel Griesbachius eius figmenti, non dico, rationem vllam habere, sed mentionem iniicere dedignatus sit. Critica igitur difficultate nulla praepediti videamus, quam informauerit Iohannes notionem Christi Deitatis. Retinenda primum vox Graeca ὁ λογος videtur, eaque retenta tres ab initio versiculi sic habent: In principio erat ὁ λογος, et ὁ λογος erat apud Deum (τον θεον), et Deus (θέος) erat ὁ λογος. Hic erat in principio apud Deum. Omnia per eum facta sunt, et absque eo factum est ne vnum quidem, quod factum est. Hoc siue philosophis siue multitudini scriptum est, iis sane scriptum est, quos nollet Iohannes nisi vnum Deum agnoscere, Cap. XVII. 3. eumque Israelitarum Deum, Cap. IV. 22. VIII. 54. Qui cum sese vnum credi vellet omnis rerum naturae creatorem esse, ac praeter se omnino neminem, omnemque in modum vetuisset, quenquam alium opinione sibi adiungi aut Deum aut quasi Deum, cumque primum hoc sit in omni religione biblica eiusque perpetua regula, perquam niscite faciunt, si qui praefationem Apostoli sic inter-

interpretando peruellunt, vt ne conseruatam quidem hanc ab eo regulam putent, Gnosticorum paene portenta reiterantes. Magis etiam, si fieri potest, inepte hoc loco illi, quantumuis multi, qui plus quam hominem Christum esse negant. Praeterquam enim quod eadem ratione reuincuntur, in ipsam Principii vocem grauiter impingunt, quam cum ita velint accipi, vt intelligatur euangelii christiani initium, velut Phil. 4, 15., res ipsa in solitario vocabulo clamat, principium illud putari, quod Gen. I. 1. dicitur (nec aliud principium Paulus dicit 2. Thess. II, 13. 14. coll. Rom. VIII. 29. 30. Eph. I. 4.) et hoc idem, quae deinceps v. 3 — 6 — 10 — 13. sequuntur, tam liquido demonstrant, vt tantae futilitatis vel Tellerum puduerit. Accedit, quod τον λογον virtutem aliquam Dei interpretantur, id quod per se facile refellitur. Quid enim attinet dicere, quale sit dicere: virtutem Dei fuisse, cum Deus esset, fuisse apud Deum, fuisse Deum, in mundo fuisse, in sua venisse, carnem factam esse? Sufficit dicere, nullius nec acuminis nec pretii, immo nullius textus, has glossas esse, earumque vel auctores vel amatores docilitate illa destitui, qua vti in tractando S. codice quemque decet. Quae cum ita sint, mediocri etiam ingenio ac iudicio homines, modo hoc teneatur, vnum Deum esse, nec praeter eum alium quenquam, dum huius exordium Euangelii attente legunt, explorare facillime poterunt, rectene an secus in scholis didice-

rint; duplicem naturam in Chriſto ineſſe, alteram vere diuinam ſiue Deum, h. e. aliquem de ipſo Deo, ab eoque nec ideo ſeparatum nec ſeparabilem, alteram humanam ſiue hominem, Adami e poſteris, alteramque cum altera tam arcte coadunatam, vt non duo, ſed vnus ſit Chriſtus. Duas Chriſti naturas vt dicamus, permittant nobis neceſſe eſt etiam perfuſa haec luce tempora, niſi indulgere admodum ſuo genio voluerint, quippe locutionem et ſatis latinam nec quidquam habentem incongrui Enimuero paulo ſubtilius videndum eſt de hoc loco, ne doctis hominibus parum animaduertiſſe videamur, quantum ſpinarum hac ſatum in via ab interpretibus ſit, maxime in vocabulo ὁ λογος. Arreptam et vocem et rem voce ſignificatam dicunt de Platone, qui Dei mentem ſic notans multa περι τȣ λογȣ mirum in modum philoſophatus eſt, a doctioribus Iudaeorum, in iis a Philone, Iohanni adhaeſiſſe. Quae opinio ſi vel ita flecti poſſet, vt nihil Apoſtolo fraudis afferret, maiorem tamen partem ab iis, qui gloriolam inde ſibi quaerunt, ex ingenio vtcunque confingitur. Quid enim? Ne Philo quidem, quamuis Platonem in amoribus habens, quem dixit τον λογον, θεȣ λογον, θειον λογον, eum ita totum informauit, vt non haberet eius rei niſi Platonem auctorem. Non laboro equidem de dictione, quam ipſam negat Thom. Mangey in Praefat. Philoniana Iudaeum e Platone potiſſimum aſſumſiſſe, at rem certe, quam is dictioni

ctioni subiicit, solummodo Platonicam esse aut e Platonica refictam, ex ipsa Philonis lectione habeo, quod pernegem. Nam innumeris in locis videre clarissime licet, hunc λογον ei esse singularem illum Angelum siue Legatum Domini, qui patriarchis non raro, itemque Mosi et aliis quibusdam, adspectabilem se praebuisset, Iehouam etiam sese professus. Quem, si quaeras, cur hoc maxime nomine nuncupauerit, in promtu haec apud ipsum est causa, quod is nimirum Legatus Dei ac Orator esset. Non aliam sane ob causam eundem et ἑρμηνέα λογον, interpretem, dicit, e. g. Leg. Allegor. Lib. III. edit. Pfeiff. Tom. I. p. 364. Mang. p. 128. itemque, allegorias inferens, Aharonem (cuius erat in Aegypto, quae a Deo Moses accepisset, ad alios eloqui) τον λογον τον ἱερον λογον interpretatur, et sacerdotem similiter λογον. Nec vero minus plurali numero angelos dicere λογȣς Dei solet. Vide omnino T. I. p. 346 — Mang. p. 115. Haec quorsum a me disputentur, profecto intelligis. Philonem auctorem non sequitur Iohannes Apostolus, nec magis Platonem, id quod meo iure, nemine inuito sano, fidenter pronuncio. Sed quem ineunte libro τὸν λογον dixit, ita dixit, vt lectoribus dudum eodem nomine non incognitum. Iam siue Iudaeochristianos a patribus accepisse nonnihil de hoc λογῳ existimes, ab iisdemque Philonem (Paraphrastarum chald. illud satis notum Memra, non erit, quod explodas) siue alios pridem a Io-

hanne eiusue collegis, in ea ſane quaeſtione, quae eſt de propria poteſtate ac verſione vocis hac quidem in cauſa, ſequi Philonem licebit, hic certe non male argutantem, ita tamen, vt nec oratorem vertamus nec interpretem, ſed potius, quaſi verbum prementes, aut vulgari more Verbum, aut maſculino genere Sermonem, Caſtellione praeeunte. Ad rem ipſam nihil admodum refert, quomodo de Graeco id nominis conuertas, ſed operae pretium erat, docuiſſe vel breuiſſime, eo minus commercii fuiſſe Iohanni cum Platone, quod ipſum Philonem, quae habet de θειῳ λογῳ, eaque pertinentia ad hunc locum, conſtare debet Moſis potius, quám Platonis e libris ſuo more propinaſſe. Ita tandem expeditum mihi erit, quae Iohannes praefatus eſt,paucis exponere.

Eorum quidem, quae iam deſcripſi, prior pars curtis quatuor enunciationibus de Sermone ipſo, qua inprimis notabilia ſunt, praedicat. Prima haec: in principio erat Sermo (quaſi nomen hoc ei proprium eſſet) ſecernit ab omni creatarum rerum natura eum, quem iam tum fuiſſe pronunciat, cum initium illis fieret, ipſamque particulam ἤδη, iam, habebat Apoſtolus, cur non adiiceret, ne de aeternitate Sermonis detrahere videretur. Iam in eo, quod ſequitur, et Sermo erat apud Deum, cum verti aliter nequeat και ὁ λογος ἠν προς τον θεον, tam acriter a Deo diſcernitur is Sermo, vt, niſi aut

porro

porro insequens dictum aut alioquin manifesta inhiberent, Deo adiunctum eum quidem, sed tamen extra Deum fuisse diceres. Tantum abest, vt pro virtute aliqua Dei accipi possit: idque proborum omnium, qui loquendi consuetudinem callent, iudicium esto. Tertium, et Deus erat Sermo, graece Apostolus sic scripsit: και θεος ἠν ὁ λογος, vt dubitari non possit, quin enunciationis subiectum sit ὁ λογος, Sermo, quod praepositum articulum habet, praedicatum autem θεος, Deus. Nec vero non apertum est, eandem diuinitatis notionem subesse huic θεος, quam habet et in antegressa et in subsequente enunciatione ὁ θεος. Aliud intrudere in mediam huiusmodi orationem diuinitatis genus, hoc vero non est interpretari, sed vim afferre verbis atque imperare, prout collubitum sit. Iohannes si docere vellet, aliam Sermonis diuinitatem esse diuersamque ab ea, quae summi Dei est (quod et ipsum per se in tali sermonis contextu summis rationibus repugnaret, et vero cum iis, quae postmodum eidem Sermoni tribuuntur, nullo pacto concordat) non paulo aliter ei, nec ita breuiter enuncianda sententia foret, ne ineuitabilem in errorem lectores abduceret, de Christo praesertim, quem tanta ac talia de se ipsum locutum hoc libro enarraturus erat, quae quidem proximis meis exposita iam litteris sunt. Quid quaeris? Verborum etiam positus immutatusque de industria ordo (adspice,

ſpice, quaeſo, non lippis oculis hanc compagem: και ὁ λογος ἠν προς τον θεον, και θεος ἠν ὁ λογος) prohibet, ne alium quendam Deum ſuſpicere Sermonem eſſe, eiusue diuerſam ac ſeiunctam a ſummo Deo diuinitatem, quae quidem ſi alia quaedam eſſet, tam inmenſo interuallo diſtaret neceſſario, vt iuxta alterum alter Deus ne nominandus quidem eſſet. Sed enim Tuo tamen iure quaeras, nihilne differat inter θεος et ὁ θεος, an vtique de induſtria etiam articulus et praemiſſus et praetermiſſus ab Apoſtolo ſit? Reſpondeo equidem breuiter ac plane, ſi vel alias nihil intereſſet, vtrum adhibitus articulus ſit, nec ne, hic tamen oculis iudicandum ſecus eſſe, idque tanto certius, quod non obſtat in vniuerſum ſermonis vſus, quominus et praedicato praeſtruatur articulus, modo ſubiectum eiusmodi, quale hoc loco eſt, eo ne careat. Quod cum ipſe non concedam ſolum, ſed contendam etiam, non tamen inde tandem hoc emergit, vt alia diuinitas Sermonis, quem absque articulo θεον, alia illius ſit, quem praepoſito articulo τον θεον Iohannes dixit. Quae tanta uno in articulo vis eſt, vt vel inuitiſſimo orationis nexu eidem voci, ſi adſit, aliam, aliam, ſi deſit, diuinitatis notionem ſubeſſe demonſtret? Nugae! Sed nec ideo nullam hoc loco vim articulus habere cenſendus eſt. Noluit ſcribere Apoſtolus: και ὁ θεος ἦν ὁ λογος, quod latine idem eſſet, ac ſi diceres, eum Deum, apud quem

Ser-

Sermonem fuiſſe proxime ſcriptum ab eo erat, fuiſſe Sermonem: quod abſona haec eſſet ſententia. Scripſit igitur: και θεος ἠν ὁ λογος, quod quidem latine, ob defectum articuli, reddere ſatis eleganter ſic poſſis: et Deus item erat is ſermo, hoc eſt, ſi tamen ſic loqui fas eſt, et aliquid ipſius Dei erat is Sermo. Aut ſic denique recte interpretatus videbor haec verba, aut prorſus vel obſcure vel incondite ſcripſiſſe Apoſtolum exiſtimes neceſſe eſt (quod nemo aut bene cordatus aut humanitatis, quas dicunt, litteris eruditus vt exiſtimet, a ſe impetrauerit) et ea quidem in cauſa, quae longe grauiſſima omnium eſt, quippe hanc cautionem habens, ne plures vno Dii vel omnino eſſe vel in creanda vniuerſitate rerum occupati fuiſſe credantur. Habes de tertia enunciatione, quantum ſatis eſt. Nam quod Griesbachius a Wetſtenio adnotatum praeterire noluit, Photinum e ſecunda ac tertia vnam compoſitam feciſſe, quam terminaret verbum ἠν, tertiumque ὁ λογος, tanquam nouam exordiens, ad ſequentia pertraxiſſe, id nec per ſe probabile eſt, quippe admodum inconcinnum et a ſtilo Iohannis penitus abhorrens, ob repetitum in vna enunciatione ἠν, et vero nihil apud bene ſanos detrimenti rectis afferre rationibus poteſt. Quarta hoc modo habet: is erat in principio apud Deum, hoc eſt, poſt enunciatam diuinitatem ipſius Sermonis non habet niſi inſimul cum prima repetitam ſecundam, ſed eam

hoc

hoc maxime modo dedita opera repetitam, siquidem iterata principii mentione, non eum demum aliquando initium cepisse, tanto fortius adstruens, et ad mundi creationem lectoris intendens animum, quo rectius intelligatur illud, apud Deum Sermonem fuisse. Etenim vt creatione effecit Deus, quae extra se vellet esse, cum ante non essent, ita apud Deum in hoc ipso negotio fuisse perhibetur Sermo, qui iuxta cum eo, tanquam alter cum altero, eiusque pariter et sua voluntate et quasi communicato consilio, operatus sit in externis rebus procreandis ac perficiendis. Hanc, si expetis a me, vt argumentis confirmem sententiam huius locutionis esse, argumenti vim in eo ipso inesse scito, quod hac vna ratione, eaque, vt in re tam ardua, quam vix aut ne vix quidem assequi humanum eloquium possit, perbelle cum verbis congruente, apprime Apostolus et ipse sibi conuenit, nec quidquam ex his conuellit, quae fundamenti instar habenda sunt. Adhaec apud ipsum Iohannem, vt superioribus litteris demonstratum est, declarasse Christus legitur, non extra Patrem se, sed in Patre, atque adeo (neutro genere) vnum sese ac Patrem esse.

Sed paulo vlterius etiam prosequenda nobis Apostoli praefatio est, quae quidem porro quae verba habet, non male latine sic vertuntur: omnia per eum facta sunt, et absque eo factum

est

eſt ne vnum quidem, quod factum eſt. Igitur intelligendum eſt, cauſam efficientem creatarum rerum omnium Sermonem fuiſſe. Quod ſi dicas intermediam tamen cauſam: primum hoc ita capiendum erit, vti eo dignum eſt, qui et ipſe eſt Deus, tum vero helleniſtica ſiue Iudaica graecae linguae dialecto δια (per) non modo intermediae, ſed principi quoque cauſae praeponi ſolet, id quod luce clarius eſt Rom. XI. 36. 1. Cor. I. 9. Gal. I. 1. 1. Petr. II. 14. atque alias etiam alio modo Chriſtum ſimpliciter pro creatore rerum omnium ab Apoſtolis ſiſtitur. Verbo vt dicam, penitus pugnat cum diſciplina biblica, praeter vnum Deum cuiquam effectionem rerum omnium attribui: quapropter Sermo vere illius eiusdem diuinitatis ſit neceſſe eſt. Sed adiiciendum his aliquid videtur de verbo εγενετο. Quod παντα δι αυτȣ εγενετο etc. in latinum conuertitur hoc modo: omnia per eum facta ſunt etc. non improbandum eſt illud quidem, nimirum, quod non ſuppetit latinum aliud verbum hanc ad rem pertinens, ſed hoc tamen verbo non plane illud idem redditur latine, quod enunciatur graece. Breuiſſime dicam, graecum illud neutrum, latinum autem paſſiuum eſſe, illud oriendi aut exiſtendi ſignificationem potiſſimum afferre, hoc effecti maxime notione pollere. Iam qui latine magis, quam graece ſciunt, dimiſſa fere ex animo oriendi atque exiſtendi cogitatione ob-

tutum

tutum vnice in effectu, quo finita est creatio rerum, figere solent, quem ab oriendo auertere non debebant. Atqui in contextu Iohanneae praefationis principium siue initium v. 1. erat, cum ortum acciperent eae res v. 3. quae ortum siue initium habuerunt. Quod cum per Sermonem illis euenerit, qui ipse non exortus in principio est, sed erat, perspicitur, non item Sermonem aliquando demum exortum esse aut extare coepisse. Contra qui statuunt, necesse est, ipsum etiam Sermonem earum rerum in numero habeant, quae ortae aliquando sunt, aliudque principium siue initium fingant ante illud fuisse principium, quod simpliciter hoc nomine dicitur, id quod minime consentaneum est, et in ipsis adeo visceribus pugnans. Verum itaque si quaerimus, vel hac ratione, quae vno in verbo vertitur, etiam veterum haereticorum illa, quanquam per se futilis techna refellitur, quae hunc in modum argutabatur, vt Sermonem non creatum illum quidem, sed tamen prognatum aliquando esse diceret, ab aeterno esse negaret. At enim ipse fortassis argutias necto! Hoc sane nemo bene graece callens, idemque recte sentiens de diuinis scriptis, dixerit. Nec fere alias, vbi de creatione rerum oratio incidit, hoc verbi adhiberi solet, vnde probabili ratione concluditur, hic loci illud non sine singulari quadam causa positum esse. Cf. Matth. XIX. 4. Act. XIV. 15. XVII. 24. Col. I. 16. Hebr. I. 2. 10. Apoc. IV. 11. Quodsi ab infinito

nito tempore Sermo eſt, profecto natura ſua Deus eſt, ſiue is, quem vnius veri Dei immutabilis natura ſimul comprehendat.

Quae caeteroquin Iohannes de Sermone praefatus eſt, per ſe quisque viderit, quantum valeant ad haec eadem confirmanda. Sed vnum tamen ex iis alterumue, facere non poſſum, quin paucis attingam, nihil ne nauſeam quidem delicatulorum pertimeſcens, verſiculos dico 10 et 11. Prior haec eloquitur: In mundo erat (Sermo) et mundus per eum extitit, et mundus eum non nouerat. Qua breuiloquentia ſuperiora tempora ſpectari, quotus quisque eſt, quin oculis cernat? Mundum, vt ſaepe, aut terram dicit aut humanum genus. Sermonem autem quod dicit in mundo fuiſſe, quid eſt, niſi negotia in terris apud homines habuiſſe? Vide vberiorem phraſin 2 Cor. VI. 16. Quod ſi ita eſt, hoc etiam argumento comprobatam putato: quam attuli expoſitionem illius enunciati v. 1 καὶ ὁ λογος ἠν προς τον θεον. Nimirum vtroque loco verbo ἠν non tam naturae praeſentia, quae quidem ſua ſponte intelligi debet, quam externum opus ſignificatur. Iam v. 11. in ſua eum veniſſe dicit, nec a ſuis acceptum eſſe, videlicet quaſi prolepſi quadam de aduentu inter Iſraelitas nati publiceque verſati Chriſti commemorans. Quod ipſum enunciatum vere Deum eum eſſe apertiſſime prodit. Nec enim

alius cuiusquam, qui ſiue in terris ſiue in coelis eſſet, niſi vnius vere Dei, qui Iehouae ſibi nomen indiderat, proprii vel Iſraelitae vel Iudaei erant, quippe qui eos ſibi proprium populum adſciuiſſet, eorumque adeo terram ſuam prae aliis dici vellet, Hieroſolymam ſuam vrbem, ſuumque, quod in ea vrbe erat templum. Ita vero penitus inueſtigatum et exploratum, perceptum et comprehenſum nobis eſt, niſi forte audire Iohannem Apoſtolum nolis, Sermonem illum, quem is in Euangelio praefatur, veriſſime Deum, nec eum deterioris cuiusdam notae Deum, ſed vnius eiusdemque cum ſummo illo vno aeternoque Deo deitatis eſſe.

Haec habui de Sermone Ioh. I. quae ad Te perſcriberem. Quem qua ratione v. 14. Apoſtolus ſcripſerit carnem factum eſſe, non eſt, quod hic excutiam.

Eſt alius eiusdem Euangelii locus, qui non minus eleganter, quam perſpicue, vere Deum Chriſtum eſſe declarat. Nempe Cap. XII. Iohannes, excitatis v. 38. 39. 40. duobus Ieſaiae vaticiniis, quorum alterum eius Cap. LIII. 1. alterum Cap. VI. 10. habetur, ita ſubiungit: Haec dixit Ieſaias, cum quidem eius magnificentiam vidit deque eo locutus eſt. Igitur Iohanne interprete, cui non eſt hic niſi de Ieſu oratio, Ieſaias in eo, quod Cap. VI. litteris mandauit, magnificentiam Ieſu Chriſti vidit. Atqui a Ieſaia

videas

videas simpliciter Dominum; itemque Regem Iehouam Zebaoth et vocatum et alio modo designatum eum, quem in sublimi editoque solio sedentem viderat. Quid ergo? Nec poterat facere Apostolus, vt Iesaiae visum illud in Iesum euenire diceret, nisi Iehoua is ipse esset, et rectissime hoc fecit, si Iehoua Iesus est, et vero hoc ipso Iehouam eum pronunciat esse, quod illo tempore oblatam Iesaiae eius magnificentiam fuisse ait. Itane recte, an perperam disputasse Tibi videbor? Breuibus certe conclusa ratio est, eaque argutiarum plane nihil habens. At, dicat quis, Ies. VI. non perlucet, Messiam illum esse, qui praealto in solio sedere nati visus est, ideoque (ita enim nunc multi aliud ex alio praecipitant) pura puta accommodatione Iohannes huc istum locum pertraxit. Esto, si quidem acutorum hominum est apud prophetas non videre, quae Apostoli viderunt: nos contra contendemus, ne accommodandum quidem ad Iesum hoc tantum visum ac tale fuisse, si non est Iesus Iehoua, et scelus Iohannem fecisse, qui transferret in Iesum, quod minime in eum conueniret. Enimuero haud quaquam accommodantis sunt, quae adduximus verba, sed plane asseuerantis, cuius potissimum maiestatem propheta in visis sibi praesignificatam descripserit. Qua in re cum credendum Apostolo sit, certum hac re id ipsum habemus, participare re vera Iesum Iehouae naturam, illius, inquam Iehouae, qui ne quis alius sibi putetur esse similis, secumue vnquam confe-

 ren-

rendus, sanctissime cautum per illum eundem prophetam voluerit. Quid quaeris? Vel tantum admonitus ab Apostolo, animaduertere ipse possis, Prophetam in eo capite de Messia visum enarrare, siue quod contigisse id sibi praefatur eo anno, cum Vsias Dauides mortuus esset, qui quidem omnium diutissime in Iudaeos regnum obtinuerat, siue quod eum Dominum, quem videre sibi visus est, Regem ipse vocat, siue quod ab eo iussus nunciare populo, fore, vt audiant, nec percipiant tamen, vt videant, nec pernoscant etc. non adiectum audiuit, nec ipse exposuit, quidnam vel audituri illi vel visuri essent, vnde coniectura certissima est, eum ipsum Dominum, quem tum vidit audiuitque loquentem propheta, visuros illos atque audituros esse, idque hoc maxime edicto declarari. Cf. Matth. XIII. 13 — 17. Ergo igitur clarissimo positum in lumine habes, Iohannem Apostolum, quem alios ante omnes in amoribus Iesus familiaremque habuit, quam accuratissime nihilque dubitantem Eius de verissima summaque diuinitate exposuisse. Iamque ex Te, mi Plimmeli, quaero, mihique, vt fateare postulo, hoc denique quid sit et quale, quod factum a Deo Deum Iesum nonnulli magna gloria scriptores aut dictitant aut mutiunt. Aude negare, nefas eos comittere, videlicet nefas Deo crimenque vel mendacii vel inconstantiae inferentes, quo peius fieri scelus nullum potest.

Allatae nuper a Fabro litterae certiorem me faciunt, nunc tandem etiam per has regiones vel rusticam plebem a nouarum rerum studiosis circumueniri. Diuendita vili pretio innumera exempla perquam popularis cuiusdam libri cum voluptate leguntur, quem si quis vituperet ecclesiastes suisque finibus arceat, pessime audiat non a litteratis tantum hominibus, sed ab ipsa quoque multitudine. Tradit enim quam commodissime multa in communi vita reque familiari proficua, itemque illas artes, quibus optime vel suffocatis subuenitur vel gelu rigidis, et quae sunt huius generis alia: insimul velut haud dedita opera hoc agitur, vt recentissimorum Theologorum, quae summa laude ferri solent, placita, quam fieri potest, lepidissime improuidis animis aut parum religiosis instillentur. Quae res eo facilius procedit, quod nihil negotii est hanc omnem disciplinam ab imis vnguibus vsque ad verticem ediscere, vtpote a multis etiam vel scenicarum vel romanicarum fabularum auctoribus bellissime informatam. Iam qualia sint haec tempora, tandem aliquando animaduertendum bonis omnibus est, ne foedos in errores ac vehementer noxios et ipsi abripiantur. Nam quod multi Borussorum regis edicto illo erecti sperant, fore, vt in melius res vertat, non spernenda quidem tam bona Regis seueritas est, qua fit etiam, vt, qui supersunt passim euangelici ecclesiarum rectores, paulum respirent a male sanorum contumeliis, sed satis tamen patet, sero au-

xilium perditis ad extremum rebus seu ferri seu quaeri. Ac dici vix potest, qua ferocia publice haud pauci de hoc edicto, quasi atroci de iniuria, conquerantur, exortam lucem cohiberi clamantes, deploratae sane mentis homines, qui, non dicam, fumum pro luce (hoc enim dicere, quid attinet?) sed impudentissime christianis coetibus doctores ne prae se ferentes quidem fidem christianam, eosque Christianorum sumtibus alendos, ingeminatae vi vocis vendant! Quodsi haec illis sedet sententia, quam plurimam populi partem christianam religionem dudum dedoctam esse, nec referre, vtrum iure an iniuria, per fraudem an ingenue, illud nescio an verum sit, hoc autem confutatione facile caret. Sed ad rem ipsam hac opus est cura, vnde arcessendi sint alii, iique rectius informati, quos istorum suffici in locum rationi consentaneum est. Nam multi nunc in tanta perturbatione rerum, si recta, quam praua, si christiana, quam contraria, docere alios mallent, non satis ipsi ne fando quidem inaudiuerunt, rectiora quae sint, nec facile inueniunt, vbi probe discant, quae vellent. Quanti rem esse negotii dicam, necessitati huic vltimae prospicere? Finge adeo, non difficilia haec omnia factu esse, quis vere perficiet, et quo vsque faciet? Nec alios principes rerum dominos tale videas imitari exemplum, nec speres imitaturos esse. Contra nonnulli nuperrime, nescio, an de industria, fecerunt, vt praecipuis in ecclesia muneribus viros eiusmodi praeficerent, quos apprime con-

conſtaret in aliena quaeuis iam pridem deflexiſſe atque non forte fortuna id agere, vt labefactetur apud eruditam multitudinem S. litterarum omnis auctoritas. Quocirca non habetis, quod meliora hac noſtra expectetis aetate, cui nec Deus meliora aut promiſit aut per ambages oſtendit. Ac ſuperſunt ex praedictis per Apoſtolos malis vel omnium peſſima, in his illud 2 Theſſ. II. 3. de Apoſtaſia, cui nihil ex omni adhuc hiſtoria ſatis reſpondet, ad quam ſi dicam haec tempora prope accedere, non dicam, niſi quod res indicat. Sed ſiue nunc ingruat haec, quam Apoſtaſiam ſimpliciter Paulus dixit, ſiue longe abſit ab hac tempeſtate, permagni certe intereſt, animis inſtructi ac parati vt ſimus ad quaeuis perpetienda incommoda ab ingraueſcente illorum multitudine, qui mirum in modum ſibi ſua, quam celebrant, in luce placent, aliosque omnes, qui longe diuerſum et ſentiunt et ſentiendum eſſe palam ad omnes pronunciant, contumelioſe admodum habent. Neque enim animo ſolum complectendus Chriſtus eſt, ſed profitendus etiam, ita quidem, vt vel minima ex parte aut non agnoſcere aut diffiteri, quae vel ipſe vel eius Apoſtoli docuerunt, religioni nobis eſſe debeat Marc. VIII. 38. Luc. X. 16. Aliter ſi quis fecerit, paulatim et caritatem Domini dilabi ex animo ſiuerit, quod, abſit, vt vnquam committamus. Vale. Dedi XXX. Octobris.